De Walterio Mappio

THESIM
Parisiensi Universitati
PROPOSUIT
J. BARDOUX

COLUMBARIIS
EX TYPIS P. BRODARD
1900

De Walterio Mappio

THESIM
PARISIENSI UNIVERSITATI
PROPOSUIT
J. BARDOUX

De Walterio Mappio

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD

—

1900

REGINALDO POOLE,

EGREGIO OXONIENSIS UNIVERSITATIS MAGISTRO

DOCTOQUE MEDIÆVARUM RERUM SCRIPTORI,

HUNC PARVUM TIMIDÈ DEDICAVIT LIBRUM J. BARDOUX,

HOSPITALITATIS ATQUE CONSILIORUM MEMOR.

DE WALTERII MAPPII OPERIBUS

Joannes Wolsio (*Mun. Lect.*, t. I, p. 430, 437, 439, 441, 442, anno 1520) sex edidit poemata : « Apocalypsim Goliae pontificis; Ad impios praelatos; Ad malos pastores; Ad Christi sacerdotes; Sermonem ad eosdem praelatos impios; De Malis Romanae Curiae ». Aliqua addidit Flacius (*Poematibus de corrupto Ecclesiae statu*, Bas., 1546, p. 133, 149, 152). — Leyserus denique addidit (*Poeseos mediaevae aetatis Hist.*, 1720) : « De Concordia rationis et fidei, Querelam ad Papam ».

Th. Wright omnes hos edidit versus (camdem Soc., 1841); et, anno 1850, addidit libros « De Nugis curialium » (Camden Soc.).

Tria poemata : « Topographiae Compendium, « Commendationes Giraldi », « Liber in Cistercienses monachos », si Leysero creditur, desiderantur. Tria alia poemata : « De Sancto Edmundo, De Festivitate omnium sanctorum, Ad Utrumque statum », cum manuscripto Cott. Vetell. D. VIII (Brit. Mus.) desiderantur.

QUAE OPERA DE WALTERIO MAPPIO LOQUANTUR

OPERA A GALLICIS AUCTORIBUS SCRIPTA

Romania, t. XX, p. 1-55, 513-578, t. IX; t. X; t. VII, p. 462.
Verg. Michel. — Les Chroniques anglo-normandes.
Boucquet. — Scriptores Rerum Galliae, t. XVIII, p. 121, Paris, 1818.
Schmidt. — Histoire des Albigeois, t. I, Paris, 1848.
Dollinger. — Le Pape et le Concile.
Hist. littéraire de la France, t. XXV, Notice de Renan sur J. Victor Le Clerc; t. XXII, p. 139-40, 154-65; t. XXI, p. 294; t. XV, p. 100 et 496.
Rocquain. — Études sur l'ancienne France, II.
Hardy. — Descript. catal., 1865, t. II.
Leyserus. — Poeseos mediaevae aetatis Hist. 1721.
Oudin. — Scriptores Ecclesiastici, 1722.
De la Rue. — Bardes, 1834, II, p. 236-44.
Hauréau. — Dans « Mémoires Acad. des Inscriptions », T. 28, II, p. 223.
J.-J. Jusserand. — Hist. littéraire du Peuple Anglais, t. I.
J.-J. Jusserand. — Les routes d'Angleterre au moyen âge.
Paulin Paris. — Les Romans de la Table Ronde.
Paulin Paris. — Mss français de la Bibl. du Roi, t. II, p. 347-362.
Ed. du Méril. — Poésies populaires, latines du moyen âge, 1847.
G. Paris. — Littérat. franç. au moyen âge, 560-62.
Cave. — Scriptores Ecclesiastici, 1745.
Dupin. — Biblioth. des auteurs ecclésiastiques, 1701.
Fabricius. — Biblioth. mediaevae aetatis, 1735.
Graesse. — Trésor, p. 324.

De la Villemarqué. — Les Romans de la Table Ronde et les Contes des anciens Bretons, 1860.
Rocquain. — La Papauté au moyen âge, 1881.
Ch. Thurot. — L'Université de Paris au moyen âge, 1860.

AB ANGLICIS AUCTORIBUS SCRIPTA

Academy, p. 588, année 1891.
Poet-Lore p. 537, — 1895.
Christ Remember. — 1859.
Tait's Edinburg. Magaz., année 1842.
Kinckerb Magaz., année 1851.
Miss Kate Norgate. — England under the angevin Kings, t. II, Londres, 1897.
Ch. Lyte. — History of the University of Oxford, 1886.
Freeman. — The Norman Conquest.
Lyttleton. — Life of Henry II, 1761.
Morley. — English writers, t. III.
Warton. — History of English Poetry, III, p. 185.
Tanner. — Biblioth. Brit. Hib., 1748, p. 331, 507.
Th. Wright. — Biogr. Brit. Litt., 1846, II, 295, 310.
Sidney Lee. — Map.
T. R. Green. — History of the English People, t. I, p. 174.
Nutt. — Studies in the legend of the holy graal.
Ward. — Catalogue of Romances in the Brit. Mus., 278; 345-66; 734-41.
Foss. — Judges of England, 275-8.
W. Stubbs. — Seventeen Lectures in Mediaeval history ; 1876.
Fred. Madden. — Introd. to Syr Garvayne.
Hucher. — San Graal, 1875.
Dr Bugmann. — San Graal, 1870.
Dr E. J. Furnivall. — San Graal, 1864 (Roxburgh Club).
Hallam. — Europe au moyen âge, 1871.

A GERMANICIS AUCTORIBUS SCRIPTA

R. Pauli. — Monument. germ. Hist., t. XXVII, p. 61.
Geo Philip. — W. Map. Wieis, 1853.
O. Hutatsh. — Die Lateinischen Vaganten lieder, 1870.
W. Giesebrecht. — Die Vaganten oder goliarden und ihre Lieder, 1850.
J. A. Schmeller. — Carmina Burana.

A MEDIAEVAE AETATIS AUCTORIBUS SCRIPTA

Joannis Saresburensis *Epistolas* condidit Giles, vol. II, Ep. 239, p. 114, Ep. 238, p. 110; vol. I, Ep. 185, p. 318.

Joannes Saresburensis. — De Nugis curialium (Oxford, 1847).

De Boscham. — Vita S. Thomae, L. VII, ch. I (Roll series).

Giraldi Cambrensis Opera (Roll series).

Thomas of Walsingham. — Hypod. Neustriae, p. 457.

Foliot. — Opera, I, c. 12; IV, c. 5 (Roll series).

PRAEFATIO

Incipientibus nobis et opus illud aggredientibus nulla jactantia subit: nec temerè contendimus, cum tam obscura sit origo scriptorum illorum quae dicta sunt *Romans de la Table Ronde*, *Poemata Goliardica*, claram lucem his admovere nos posse. Voluimus tamen primum tempora illa aetatisque illius mores brevius invisere; dein, quod nemo unquam neque apud Anglos neque apud Gallos tentavit, nemo apud Germanos unquam plenius ostendit, omnia quae de vita atque operibus Walterii Mappii supersunt in unum conferre. Quare praecipue huic libro, qui *De Nugis curialium* inscribitur, incubuimus : visus enim nobis est Decameron ille, qui jam duodecimo saeculo scriptus est, et temporis illius et scriptoris nostri mores illustrare; visus idem est fidem atque auctoritatem illorum confirmare qui, ut memoriae proditum est, Walterio attribuunt fabulas quasdam soluta oratione tractatas poemataque aspera et maledica, quae alii aliis imputant.

Quod si quis judicaverit nos attente ac diligenter studuisse parti cuidam scriptorum illorum, quae hoc tempore composita sunt, quo Normani se Anglis miscuerunt, victores victis, ita ut novum e mixtura hominum genus evaderet, id satis nobis erit : nihil aliud cupimus.

DE WALTERIO MAPPIO

PROOEMIUM

QUOMODO WALTERII MAPPII INGENIO DUODECIMI SAECULI INSIGNES NOTAE IMPRESSAE FUERINT; QUOMODO WALTERII VITA REGNI HENRICI II IMAGINEM EXHIBEAT.

§ I. Quomodo vigere commercium, vigere ingenia coeperint. Quantum Gallia priori illi renovationi contulerit. — Renovatio sedem habuit in Gallia. In ea regione summa fuit intentio commercii, litterarum, artium; inde religionis et politicarum rerum studium vim majorem traxit. Quam brevis Renovatio fuerit. — Quomodo, saeculo tertio et decimo, apud nos litterae in deterius lapsae fuerint. — Quam partem ceterae Europae gentes in Renovatione sibi vindicare possint, quod ad religionem litteras que et artes attinet.

§ II. De Anglia, Henrico secundo regnante. — Quam arcta consuetudine Gallia et Anglia devinctae fuerint. — Apud Anglos gallicae litterae et Parisiensis Universitas in maxima gratia erant. — Quae gallicae linguae in Anglia fortuna fuerit. — De regno Henrici secundi : Quantum profecerit commercium, quantum ingenia; quanto studio tum sacris, tum politicis rebus dederint operam. — Ut splendor ille cito obsoleverit, mentibus nondum maturis.

Conclusio. — Quomodo Walterii Mappii vita regni Henrici II imaginem exhibeat; quomodo Mappii ingenio aetatis illius insignes notae impressae fuerint.

I

Perdurante ista medii aevi nocte, per quam post cultus romani splendorem, videntur occidentalis Europae civitates

in barbariem relapsae, lumen tandem, et si fugax, spectatoris, istis fessi colluctationibus, quas auctoritas temperat nulla, istorum pertaesi morum, quos nullae bonae artes mundant, animum recreat. Saeculo XII° videntur homines e somno surgere; hactenus in viculis suis conditi, aut aemulationibus privatis occupatissimi, tunc magna et sciendi et negotiandi cupidine commoventur; renovatio mentium politica simul et religiosa istas regit turbulentas civitates, et in istis candidis animis rerum divinarum sensum emendat.

Quae autem ista renovatio prima fuerit perpendere non parvi momenti est. Lux tantum quaedam fugiens est, apponens temporibus historiae universae maxime luctuosis : non mores reformati, non mentes transformatae sunt; longus somnus ad breve solutus, et nihil aliud.

Gallia fons fuit illius renovationis, quae apparet quasi culturae recentioris aurora; Gallia sedes fuit illius in re negotiatoria intellectuali, religiosa et politica motus, quo insignitur saeculum XII^{um}. Tunc temporis primum surgit auctoritas illa, qua pollebit in universo orbe, Gallia.

Gallia fuit, excepta tamen Italia, prima regio ubi citissime crevit sub finem saeculi XI^{i} mercatura. Fuerunt mature in Gallia mercatoriae viae usitatae, fuerunt in ea nundinae celebres. Impulsus acer agebat mercatores per Rhodanum et Ararim; inde in plures partes diffluebat; quarum una, per Mosellam, Rhenum et fretum septentrionale attingebat; caeterae, per Mosam, Sequanam et amnes influentes, in Campaniam et omnem circa Parisios regionem, in Normanniam, Flandriam et usque Angliam merces importabant. Duabus illis viis mercatoriis, Monte Cinere scilicet et Adula jam Alpes intercisae; tribus majoribus viis : Parisios inter et Pictaviam Burdigalamque una, Parisios inter et Petrocorum Tolosamque altera, tertia denique inter Parisios et Bituriges, Clarum Montem Aniciumque jam Gallia sulcata erat.

Terrestres has vias complebat via maritima Oceani fretique gallici : Bajona nempe, Burdigala, Nannetes atque « L'Écluse » stationes erant inter meridionales ac septentrionales regiones. Secundum terrestres vias parvo que intervallo separati mercatus multi mercatores e longinquis partibus alliciebant; Rothomagi, Remorum, Aureliae, Parisiorum fora ubique nota. Parisiorum vero nundinae, prae Anglicis aut Flandricis nundinis, in tota Europa notissimae. Nundinarum quoque Sancti-Dionysii dictae (de Lendit), Ugerni et inprimis Trecarum in Campania XII° jam saeculo esse coepit illa fama quae usque ad nos perlata est. Quae mercatoria industria illis recentiorum negotiatorum antecessoribus sensum dedit acriorem difficultatum, quibus tum mercatura impediebatur. Necesse ergo duxerunt societates instituere, quae singulis auxilio essent. Rothomagensis « Ghilda » XII° saeculo monopolium exercet totius Normannos inter et Hibernos mercaturae, emporium praeterea possidet Londini, et Sequanae inferioris mercaturae monopolium. « Parisiensis Hansa » jus adipiscitur et sibi soli vindicat, in regali dominio, navigationem exercendi. Octrebatensis « Ghilda » singulari privilegio eximitur de portoriis, quae Bapalmae de mercibus, inter Galliam et Flandriam comportatis, imposita erant.

Ex illis subito creatis novis societatibus, adeo a regimine feudali illo abhorrentibus, quod communitate agricolarum, et divisione terrarum fundatum erat, ex illa itinerum et commercii facilitate aucta necesse erat ut oriretur altera et intellectualis et politica impulsio.

Mentium renovatio, et politica agitatio eo magis in Gallia effulsere, quo acrior fuerat negotiatoria impulsio, caeterarum origo.

Ut jam supra notavimus, inde a Barbarorum incursu, bonae artes unice in quibusdam monasteriis et cathedralium

ecclesiarum capitulis docebantur. Extremo xi° saeculo doctrinalis ille focus erat in capitularibus et monasticis scholis in ripa Ligeris septentrionali sitis. Aristotelis Logica, a Boetio translata, fundamentum fuit hujus disciplinae, quae in Beccensi et Laudunensi monasteriis, in Turonensibus et Andegavensibus scholis capitularibus, Lanfrancum, Anselmum ac Berengarium illustravit. Postquam vero impulsu illo negotiatorio feudorum fines partim effracti sunt, commercia magis in promptu facta, mercatusque creati, tunc tepidi illi doctrinae mediaevae foci, luce elara fulserunt. Totam Galliam extra Ligerim Septentrionem versus sitam, ineunte saeculo xii°, seria mentium agitatio commovit. Inde Parisiensis Universitas natura et sponte nata est. Instituit eam nulla potestas; Papae et reges eam scilicet tutati sunt, non condiderunt. Parisiensis enim Universitas « ortum habuit ex naturali illo desiderio viros scientiae studiosos impellente ad mutuam conversationem, et constituta est eodem societatis instinctu, qui tunc temporis Longobardorum urbes, Gallias communitates, et operariorum varia collegia informavit » [1]. Quum Abelardus, Gulielmi de Campeaux discipulus, venit in Parisiensis Ecclesiae cathedralis capitularem scholam, ut in ea doceret, jam ab antecessore suo, eodem que magistro illustrata; quum diserta eloquentia et novis opinionibus pellectos glomeravit discipulos, quorum in dies crescebat numerus, Universitatem Parisiensem donavit duabus dotibus, quibus adhuc ipsa carebat, magistro scilicet illustri et vera methodice.

Haud ante annum 1208um in bulla Innocentii III nominatur « Universitas Magistrorum » ; jam vero a quinquaginta annis et amplius Universitas Parisiensis existebat. Abelardo exstincto, non exstincta Parisiorum fama : germen ibi depo-

1. Thurot, *l'Université de Paris au moyen âge*, p. 4.

situm, rebus ac temporibus adjunctis, crevit. Advenae, Angli praecipue et Germani, concurrere consueverant ad audiendas praelectiones illius clarae Universitatis, dialecticorum subtilitate, et theologorum eloquentia illustratae; quam consuetudinem servaverunt. Circa XII[i] saeculi finem praelectionum instituta sunt genera duo : praelectiones ordinariae traducebantur in docenda unice logica, cujus studium accurate fovebatur hebdomadalibus disputationibus, et insuper solenni disputatione in claustro S[ti] Juliani Pauperis habita[1]. Praelectiones extraordinariae complectebantur ceteras omnes extra illam disciplinam praecipuam disciplinas : metaphysicam, ethicam, mathematicam, et antiquarum scientiam linguarum[2]. Quae scientiarum renovatio saeculo XII[o], non Universitatum solum creatione manifestata est, sed etiam partu operum gallice scriptorum. (Quorum enarrationem absolutam proferre hic non expedit. Memoremus tamen illa aetate non tantum primos lyricorum nostrorum radios jam fulgere in operibus Cononis de Bethuna, Theobaldi de Campania, Gacci Brulé, Castellani de Coucy, et Colin Muset; non tantum epicum genus ad summum pervenire in Cyclicis Arthuri et Trojae operibus; sed apparere quoque prima fabellarum nostrarum lineamenta in antiquioribus Fabulae vulpis fragmentis; ac quibusdam fontibus unde posterius Joannes de Meung hausit.) Illa aetate, nascentibus gallicis litteris illustrata, visus est simul in gallico solo litterarum latinarum quidam flos renasci, at ille tenerrimus, qui saeculi unius spatio marcesceret. Gallicum genus vigens ac robustum poematum epicorum segetem gignit, nec non satirica et didactica opera delineat; genus autem latinum renovatum admodum fragile, callida linguae antiquae scientia, operum didacticorum, et scholae disputationum studio, notatur. Si Walterii

1. Thurot, *op. cit.*, p. 87-89.
2. Thurot, *op. cit.*, p. 78.

de Castillone[1] epica poemata, si Hilberti de Lavardino, Cenomanensis episcopi lepida carmina; si S^ti Bernardi orationes et Bernardi Sylvestri[2] theosophiae platonicae expositionem volveris, purum scribendi genus, periodorum ubertas, stylus expeditus tibi praebebunt quamdam Ciceronianorum xvi^e saeculi adumbrationem. Illa vero scripta quae, quod ficticia magis et curiosa sunt quam vere latina, probari ex tuto nequeunt, secum praeterea ferunt mortifera duo semina. Scholasticus ardor immodicus et illa continua docendi cura omnem litterarum amaenitatem tandem e medio tollent; fietque ut jam non libros legant nisi discipuli atque magistri. Jam non erunt vere litteraria opera, sed illae immensae Gulielmi Durandi et Alberti Magni summae. Lingua pure latina, quae in Gallia renata est, occidit, at non multo post in Italia reviviscet.

Tempore quo primum, in summo Sanctae Genovefae colle, discipuli circumsedentes magistros audierunt, Parisienses quidam parietum artifices ignobiles praeparabant illam aliam, artium manu factarum renovationem, qua mentium renovatio compleretur. Proposito enim concepto spiratas cameras, quas fornicibus praestare duxerunt, confirmandi per arcus decursatos ex angulo ad angulum ductos, et « ogivas » vocatos; invento deinde suffulciente arcu, ad decoram elegantiam necessariamque firmitatem intra consociandas, reperta sunt ambo gothicae architecturae insignia. Sint exempla medio saeculo xii°, Sancti-Germani de Pratis, pro quadam parte tantum, et Sancti-Petri in Monte Martyrum ecclesiae, in quibus jam apparet nascens ars nova, cui ars antiqua obluctatur. A primis vero saeculi xiii^i, statim annis, in Remensi[3] et Ambianensi[4] cathedralibus

1. Auctor is est. *Alexandreidis.*
2. Auctoris operum « Megacosmus » et « Microcosmus ».
3. 1212.
4. 1220.

ecclesiis ars nova, jam perfecta et absoluta[1]. Ut ex Abelardi praelectionibus germinarunt latinae linguae restauratio, ingeniaque humana, quasi novo stimulo in diversas vias instigata erant ; ita ignoti isti coementarii Parisienses omnimodarum scholarum germina posuerunt : apparuerunt sculptores, qui jam in ultimae architecturae « romanae » dictae cursu, abjectis ordinariis et de antiquo more ornamentis, ad ingenua decoramina rerumque veritatem diverterant : sed praeterea nobis reliquerunt illam immensam multitudinem statuarum quae Remis et Ambiani, in fidei christianae tutelam, quasi excubias sempiternas agere videntur. Fuerunt praeterea pictores ornatores, quorum byzantinum picturae modum adhuc videre est in ecclesia Sancti-Savini; nimirum intimas partes picturae colore ardenti illustratas, candore, non auro fulgentes. Fuerunt denique vitrarii pictores, qui posteris tradiderunt novum quoddam genus tenellarum, e vitri fragmentis coloratis plumboque religatis compositum, pertinacis laboris exemplaria simul et artis humanae miracula. Quam brevissimam enumerationem si expleverimus, mentione facta de Lemovisensibus smaltis et Pictaviensibus velaminibus, circa XII[i] saeculi finem jam fama notis, constabit sane haud immodicum esse « primam renovationem » vocare brevius illud temporis spatium quo Gallia vincula feudalitatis excutit, mox in longas belli « Centum annorum » conflictationes relapsura.

Triplex illa circa res mercaturae, philosophiae atque artium honestarum industria, homines e disperso feudalitatis regimini ereptos, ad communem societatem impulit, eoque facti sunt suorum dolorum viriumque suarum magis conscii ;

1. Admonere lectorem omnino superfluum videtur, architecturae gothicae quatuor fuisse successiva genera : primitivum, lanceolatum, radiatum atque flammeum. Quodque genus saeculo fere uno continetur.

itinerum multiplicatio et inde multi invicem sermones sagacitatem observandi, sciendique cupiditatem excitaverunt; quae omnia necesse erat ad res politicas religiosasque valerent.

Saeculum duodecimum, illa bellorum Christianorum contra Mahumetanos aetas, totum in religiosa fide fundatur. Theologia disciplinas omnes regit; religiosae curae prae caeteris animas sollicitant. Impulsio religiosa in Gallia eo acrior fuit, quo major impulsio intellectualis ibi erat. Anno 1140° ad Papam scribebant Episcopi : « Per totam fere Galliam, in civitatibus, vicis et castellis, a scholaribus non solum inter scholas, sed triviatim, nec a litteratis, sed a pueris et simplicibus de sancta Trinitate disputabatur[1]. » Quum interim expeditiones sacrae fidem purificarent, (cruciati enim milites experti Deum ne Hierosolymae quidem posse oculis videri, ita conceptum divinum esse extra supraque res visibiles senserunt,) eodem tempore disciplina theologia modo nata animus accendit, vix in intellectualem lucem editos! Qui duplex stimulus in Gallia sensum religiosum excitavit, qui haeresium propagatione simul et Monachorum ordinum germinatione sese protulit. In Gallia enim nascuntur, et maxime propagantur illae famosae saeculi XII[i] haereses, manichaeorum[2], pantheistarum aut Montanistarum[3], sive ex vetere oriuntur opinione de duobus principiis aeternis, boni unius, alterius mali, sive in novo Pantheismi conceptu fundamentum quaerunt, sive ex solo animo reformandi Ecclesiam corruptam originem ducunt. Quum magna valerent auctoritate, per saeculum XII[um] in Gallia

1. Citatum in opera Rocquain : *Études sur l'ancienne France*, II.

2. Illis nomen inditum a Manè, nato in urbe Caroub, circa 240[um] annum, qui docuit duos esse deos, ab imperio Graecorum exulatus est, cuique tandem cutis vivo detracta est, regis persici jussu, anno 274.

3. Ita nominati a Montano, qui in Mysia saeculo II° natus, fera austeritate homo, nova jejunia, tres quadragesimos imponebat, damnabatque secundas nuptias.

meridionali Cathari[1], sive Albigenses, jam supra notavimus, nec diutius in hac materia immorabimur; memoremus solum Aureliam et Aginnum, fuisse circa xi[i] saeculi finem prima illius sectae incunabula. In Gallia quoque, imo Parisiis orta est, auctore Almarico de Bene, in Universitate magistro, Almariciorum haeresis pantheistica. Christianum quemque esse Christi membrum, sacramenta esse prorsus inutilia, sanctificationem unice consistere in intimo praesentiae divinae sensu; talia erant praecipua illius doctrinae capita, quae, etsi in Parisiensi (1209) primum, in Lateranensi (1215) iterum Concilio, damnata essent, Almaricusque e vita cessisset, et non pauci discipulorum ipsius capite poenas dedissent, in Sueviam et Helvetiam usque pervenerunt « Fratrum ac sororum spiritus liberi » vestigia prosecuti sunt Cathari, qui ipsi quoque Albigenses Ecclesias Treviris et Coloniae instituerunt. Quorumdam inter asseclas utriusque sectae depravatos mores obstare fateor, quominus aequo judicio historicus in illis haeresibus priorem sinceram agnoscat reformationem; si vero in consideratione sectarum Montanistarum morati fuerimus, aliter sentiendum. In Gallia fuit, multo ante saeculum xvi[um] aliquod reformationis rudimentum. Petrus de Bruys, qui anno 1214 igne consumptus obiit, et post eum Henricus de Lausanne, auctores fuerunt Petrobusianorum sectae, quae in Gallia meridionali orta, per Cenomanensem diocesim propagata, in Helvetiam Sabaudiamque pervenit. Petrus de Bruys, coelibatum sacerdotalem, pro mortuis preces, imaginum cultum, fideique dogma de praesentia reali repudiando, sic religionis reformatae quadringentis ante annis praecipua instituebat fundamenta. Valdensium autem secta, ab Ecclesiae doctrina minus aperte dissidens,

1. E graeco vocabulo καθάροι, sine macula.

diutius vixit, quum etiam nunc in Delphinatus et Redemontii vallibus hujus sectae viginti fere sectatorum millia numerentur. Quae a Lugdunensi quodam mercatore, Petro Waldez, primum instituta, anno fere 1177, non quidem dogmata catholica immutare, sed clericorum mores reformare statuebat. Postquam enim Scripturas sacras in linguam vulgarem verti jussit, pauperibus distributis fortunis omnibus, dives ille mercator, quem subito mors amici cujusdam subitanea converterat ad Deum, regiones praedicando peragrare coepit. Necesse erat, si corrupta societas e vitiorum coeno renasci cuperet, nonnullos egregios viros apostolica praeful gentes vita apparere qui nudis pedibus orbem terrarum perlustrarent. Excommunicatus a papa Lucio III Petrus Valdensis in Bohemiam moriturus abiit. Cujus orbata consiliis, secta recens indolem propriam amisit, ut nonnulla Petrobusianorum commenta profiteretur, scilicet pro defunctis rogationum inutilitatem, indulgentiarumque et intercessionis Sanctorum pessumdatam consuetudinem. Insuper jus proprietatis damnatum et militare officium abolitum speciali signo hanc haeresim notabant, quae brevi per meridionalem Galliam, Italiam septentrionalem et Aragoniam grassata est.

Ex ipso tempore quo Gallia reformare Ecclesiam tentabat, sine spe tamen felicis successus, vim novam Papae eadem Gallia afferebat, clerum regularem adaugendo. Quamvis enim non orta sit in Gallia monasticae vitae institutio prima, in hac tamen regione, saeculo XII°, floruit primo coenobiticum germen undequaque seminatum : nempe inter 1080 et 1130, Lemovici, Majoris-Montis monasterium, Gratianopoli Carthusiensium, Fontevraltensis ordo in Pictaviensi regione florebant, pariterque Cisterciensis prope Divionem, Praemonstratus Lauduni, necnon Sancti-Victoris Lutetiae Parisiorum. Multiplicatio autem Regularium, quae non unam

in Catholica Ecclesia querimoniam suscitavit, contra quam ardenter invehebatur Walterius Mappius paratissimum atque docile agmen Romano Pontifici exhibuit. Hac favente religiosorum turma, Gregorius VII ejusque successores unitatem in sinu Ecclesiae restaurare voluerunt, necnon et extirpare vitia quae clerum polluebant, scilicet concubinatum ac simoniam. Francia igitur, saeculo XII°, novitaten reformantium in Ecclesia renuente tamen et reluctante exortas, simul et mirabilem defensorum legionem, quae scandala penitus expurgare studebat, surgere vidit. Cujus autem agminis futura fuisset victoria, si Capetiani stemmatis reges, inter quos eminent Ludovicus VI et Ludovicus VII, non cum Papa societatem iniissent, ex qua, cum nomine Natu-majorum in Ecclesia, vim novam ad monarchiam prope nascentem, stabiliendam et illustrandam, obtinuere, nemo inter historicos affirmat.

Haec agendi virtus in religione, artibus, litterarum cultu atque oeconomiae, quam paucis describere tentavimus, socialis rei ac politicae fines aggredi paulo post parabat.

Non tamen hac in parte effectus causam primam secutus est. Non dubium sane quin commercii opera et labores, quae elementum novum manifestant in societate, vim specialem in Francia et multiformem obtinuerint. Nusquam si Italiam excipias, majora certamina pluresque conatus. Nusquam libertatis cupido, multimoda et diversa magis ratione usa est. Frustra autem hoc nascentis vitae socialis exordium in nonnullis tragoediis symbolum exhibuit, veluti Biterrensi rebellione et Laudunensi; frustra cunctis Franciae partibus insonuit; frustra comparaverunt emancipationem variis suffulti rationibus, sive lucta, sive emptione, sive publica venditione [1], sive tandem opificum aut mercatorum sociata cons-

1. Vide exempli gratia Lille et Audomari Fanum.

piratione; frustra denique plures Franciae communitates ut novis nominibus (*Capitouls*, *Consuls*, *Jurés*, *Echevins*) novam administrationis formam insignirent curaverunt; totum illud sociale tentamen non obtinuit, in re publica, uti sperandum erat, effectus verae novitatis politicae. Ecclesia damnante, principibus ac ducibus obstantibus, istae communitates quas Rex identidem fallebat et fraudabat, semen mortuum spargere, nec serio libertatis auram captare tentaverunt. Intermedia classis, quae prima tunc temporis apparebat, « nullam spem futurae conditionis alebat, quippe quae minus aggredi quam resistere satageret. »

« Jura ignorata non postulabat, sed servitutis levamen quo maxime indigebat. Commercii laboribus, non litteris dedita, securitatem appetens non libertatem aut potestatem, sese felicem existimans si onera supra modum gravia excuteret, haec intermedia populi portio vitam tantummodo rogabat quam obtinuit. Tempus et eventa expectabantur ut desideria satiarent[1]. »

Quomodo alias huic ingenti turbae vita politica infundi valuisset, quando unitas nondum homines coadunare valuerat, quando insuper regalis auctoritas, ad minimum reducta, partem infimam Franciae tuebatur. Expectandum est donec Philippus Augustus et Philippus Pulcher gubernacula suscipiant, bellum que protrahatur per centum annos, si velit Francia ediscere quodnam sit gubernationis fundamentum, quo constet patriae conditio.

Non igitur vita politica nondum exsistens, non auctoritas suprema quae instar phantasmatis habebatur, non pariter communitatum impulsio quae extra Franciam inita onnem Europae occidentalem partem agitavit et in Anglia maxime molita fuit, non ista omnia, regnantibus Ludovico VI et

1. Prévot-Paradol, *Hist. univ.*, II, p. 159.

Ludovico VII, Franciae procuraverunt unde Europa occidentalis, per dominantem Franciam, ad civilitatis fastigium veheretur. Totum in hac re comparatum est per litterarum, artium, et religionis studiosos labores quibus, favente commercio, variae populi stirpis, diu disseminati, copularentur.

Tota occidentalis Europa sese subjacentem fatetur famae et celebritati quam emittunt non solum haereses Universitasque Parisiensis, sed et poesis et architectura nostra. Poesis lyrica victrix Hispaniam, Lusitaniam atque septentrionalem Italiam peragravit. Quod si vetera nostra evanuissent poemata, possemus hodie, mediantibus Germanicis versionibus in lucem edere.

Haec Franciae dominatio, quae saeculo xii° fuerit probant monumenta pulchriora et durabilia magis quam manuscripta pulvere sordida. Cum enim sequenti saeculo extranei Episcopi qui Lutetiae studuerant, adduxerunt in Germaniam, Helvetiam intimamque Hungariam[1] nostros architectas, nostram auctoritatem in artibus poetica laude sacrarunt. Ecclesiae certe, nostrarum germanae, quae caput erigunt Burgos, Upsal, Roskild et Lincolniae, non tantum testificantur ingenium opificum qui, ignoto nomine, Gothicum stylum invenerunt. Opus francigenum, verum etiam immortale symbolum istius Francigeni operis, quod simul aggredi inceperunt doctores catholici adversantesque scriptores, Universitates et poetae, hac xii' saeculi aurora non diu mansura, lucem emisit.

1. Vid. Quicherat, *Miscellanea Archeolog. et hist.*, t. II.

II

Anglia vero, plus quam Aragonia Castillanensis regio et Lusitania, Francorum ducitur influxu penitusque movetur. Cum enim Guillelmi Victoris exercitus, in quo, praeter Normannos per unum saeculum et amplius oleo Francigeno inunctos, plures constiterant equites Parisienses, super Angliam aeneum rete extendisset, ipso facto ultra mare projecit non modo usus, certamina, judiciaria jurgia, quid de societate feudali et auctoritate regia sentiret, sed et litterarum monumenta. Quae profecto litterarium sunt opus penitus Franciae sale perfusum.

Duodecimo necnon et XIII° saeculo, reperire est in litterariis Anglo-Normannorum operibus genera omnia quibus Francia favebat, capitaliaque signa quibus Occidentalium virorum sententiae hoc duodecimo saeculo exprimebantur : didactica scilicet, triplici illa specie instructa, quae haec habet : tractatus quasi scientificos quae omnia docenda docent [1]; majores historicas narrationes, sive versibus, sive soluta oratione [2] exaratas ; moralia fabulosa quae coeli vias ostendunt, tum per Evangelia [3] evoluta, tum concionum [4], tum lapidarium [5] ope : Francorum tota litterarum evolutio littus Angliae pertingit. Poeseos Epicae pars, nempe gestorum carmina antiquioris Cycli [6], germinat et crescit trans

1. I. e. *Laïcorum Lux*, auct. Petro de Peckham, et *Mundi Imago*, utrumque versibus gallicis XIII[i] saeculi.

2. Opera div. Gaimar, 1147 (*Estoric Englis*); de Wace, 1100-1175 (Traduct Godfridi Monmouth versibus gallicis : *Normannorum Gesta*); Benedictus de Sancto Mauro (*Normannorum Ducum Chronica*).

3. *Speculum* R. de Gretcham versibus gallicis.

4. *Conciones versificatae Angl.-Normann. Reimpredigt.* Ed. Suchier, Halle, 1879.

5. *Bestiarium* Philippi Thaon, XII° saeculo, et *Bestiarium divinum* Willelmi Clerici, XIII° saeculo.

6. Benedictus de Sancto Mauro, *Fabulam Trojanam, Thaebanamque* edidit, 1150 ; — *Alexandri* Historiam edidit Thomas de Kent, 1190. *Prothesilai* fab. ed. Hue de Rotelanda.

intermedium mare; pars altera, scilicet Arthuri Cycli, pariter nascitur in curia Normannorum regum ut deinde in Francia adolescat[1]. Angli-Normanni, productis historiis « Amis et Amillre, Flore et Blanchefleur », carminibusque Mariae Francianae, non mediocrem afferunt copiam nostrae Poesi Lyricae. Quinimo satyrici generis, quod stirpi nostrae proprium videtur, in « Caroli Magni Peregrinatione[2] », in qua a Carolo duodecimque comitibus, tredecim mulis consedentibus, Constantinopolis petitur, vetustum exemplar haberes. Pariter invenies trans mare quasi imaginem Longi istius satirici poematis, « Vulpis » scilicet[3]. Mirabitur nemo nostrarum litterarum opera saeculo XII° in Angliam migravisse, cui compertum erit tot vinculis astrictas fuisse ambas regiones, nempe commercii, politici juris, intellectus et religionis. Diximus enim quam frequenter negotiarentur inter se Burdigalensis, Nannetensis, Rotomagensis atque Angliae portus; novimus hanc mirabilem monarchiam cujus amplae et magnificae terrae in Francia jacebant, cujusque duces vix capiebant anglicam linguam, anglice vero nunquam loquebantur[4]. Nec nos fugit scripsisse Bartholomeum Anglicum : « Lutetia, tanquam mare sapientiae, ex omni terrarum orbe advenas recipit, cuique quid oporteat porrigit, in pace gubernat, et tanquam veritatis dispensatrix, doctrinae et cibi pabulum sapientibus et stultis largitur. Cunctas civitates superat

1. *Hist. Regum Britanniae*, 1139, Geodfriddi Monmouth origo fuit Arthuri Cycli. Wace (1155) eo ipso quod versibus gallicis transtulit opus et historiam complevit per *Roman de Brut* atque illustrem reddidit. Una amoenissima versibus translata fuit a Beron, 1150 prima vice, altera a Thoma, 1170. Utraque gallice versa, Normannorum opus.

2. Unum restat M. S. in Anglia redactum XI° saeculo.

3. 12ª pars scripta est à Richard de Dison in Normannia finem habente, XII° saeculo; 14ª pars in auctoribus ostendit linguae et morum Anglorum notitiam (Vid. Sudre, Paris, 1893).

4. Henricum IV unum reperias, 1339-1413, cujus prima lingua fuerit Anglica. Sed si callebat istam linguam, non loquebatur Henricus II.

Lutetia[1]. » Cum haec Bartholomeus scriberet, sese tantum interpretem exhibebat civium suorum qui urbem in qua studuerant ingenti admiratione prosequebantur ; hi sunt Joannes Saresburensis, Ralph de Piceto, Robertus de Meloduno, Adam de Ponteparvo, Walterius Mappius ; quoad vincula ex religione procedentia, non nos fugit cleri Anglici principes, monasticas familias, presbyterosque Romam saepius peregrinantes plurimum Franciam omnimodo commendasse[2]. Quam admirationem auxerunt sane lites inter praelatos et reges Andegavenses, qui regem Franciae noverant fidelem cleri protectorem esse et Papae obedientissimum filium. Willelmus Foliot tunc scribebat : « Inter omnia regna mundi, non est ex animi mei sententia, regnum quod fidem sinceriorem, caritatem ferventiorem, devotionem uberiorem Apostolicae sedi semper exhibuerit quam Francorum. Non est, inter reges et principes, qui benignius exaudiat preces vestras, qui mandatis obediat humilius, qui Ecclesiam et viros ecclesiasticos devotius et studiosius tueatur, Christianissimo Rege vestro. Non est ecclesia quae Romanae Ecclesiae fuerit utilior in omnibus angustiis suis quam Gallia[3] ». Admiratio haec erga Franciam « omnium mitissimam et civilissimam Nationum[4] », haec Gallici cultus auctoritas, ea notissima luce in Anglia claruit, quod Gallorum lingua tribus fere saeculis usurpata est ad leges, actus publicos, judiciorum actiones et certamina, necnon et politicas orationes foederaque conscribenda[5].

Giraldum Cambrensem, qui latino usus erat sermone,

1. *De proprietatibus rerum*. Trad. Joannes Corbichon, saeculo XIV°.
2. Stubbs, p. 139.
3. Gilb. Foliot *Epist.*, vol. II (Roll. series), Epist. 446, p. 209.
4. *Epist.*, vol. II, p. 83.
5. Quod attinet ad usum linguae nostrae in operibus Angl. Normannorum, vide praecedentes notas.

paenitebat, cum ad finem vitae pergeret, quod *non lingua vulgata* usus esset qua, ut opinabatur, operibus immortalitatem consecutus esset. Quae lingua vulgata seu communis Gallicam non Anglicam linguam significabat[1]. Sanctus quidam fere sede sua privatus est, quia, nostrae nescius linguae, regiis conventibus interesse nequibat[2]. Immo vero Gallici sermonis usus adeo labente saeculo XII° praevaluerat, ut aeque praelati possent sive Anglice sive Gallice verba facere coram plebe. Etenim audivimus e Chronica Jocelini de Brackelonde conciones sacras in ecclesiis tum haberi « Gallice vel potius Anglice, ut morum fieret aedificatio, non litteraturae extensio[3] ».

Haec Gallici cultus auctoritas eo majoris momenti videtur quod ad apicem pervenit, dum ipsa regia domus summum attingit. Non aliter in Anglia quam in Gallia XII^{um} saeculum renovationem et omnimodas reformationes instauravit. Regnum Henrici II supremum culmen in domo Andegavensi simul et in historia Anglorum momentum illustre memorat. Qui enim dux Aquitaniae et Normanniae nominabatur, Franciae senescallus utpote Andegavorum comes, Britanniae praepotens rector, quia Normanniae ea provincia subjacebat; Biturigum et Arverniae dominus terrarum, quae vere aut opinione Aquitaniae submittebantur; propinquitate affinis Fulco regi Jerusalem Andegavensi, utriusque Siciliae regi Normanno, Henricus II aetatis suae vir potentissimus habebatur. « Structura corporis, aspectus, larga et quadrata statura, rubicundus vultus, oculis erumpentibus densisque capillis ornatus, sed et torta crura, agitatum negociatorem, asperum et rusticum innuebant. » Nunquam sedet, ait ejusdem aetatis scriptor, a mane ad vesperam graditur. Attentus

1. Opera, IV, p. 410.
2. Mathoeus Paris, *Chron. Maj.*, sub anno 1095.
3. Camden Society, 1840, p. 95.

in negotiis, quamvis incuriosus videatur, numquam quieti indulgens[1], Henricus II ea mentis alacritate utebatur quae ad immensum Imperium administrandum sufficeret. Si triginta quinque annis regnavit, tredecim annos solum in Anglia peregit, et nonnisi vice triplici, binos commoratus est. Insigni praeditus memoria « et discretione suavitatem singularem redolente »[2], amicitiae tenax sicut et odii, Henricus II excitabat (ut Walterius Mappius exemplis probabit), in animis servorum et amicorum ferventes hos affectus, qui maxime viros politicos custodire et armare possunt. Insuper cupidus veri et doctus, dignus erat qui a Fulco Benigno originem traheret, cujus norunt omnes verbum regi Lothario dictum : « Rex illitteratus, asinus coronatus » ; denique egregius propinquus regum Hierosolymorum, Baldwini III et Amalrici I, qui fama litteratorum pollebant[3]. Non mirum est igitur palatium omnibus patuisse exulibus, quos recreabat legatorum introitus, peregrinorum[4] adventus et cursorum, et vere coenaculi litterarii imaginem praebuisse. Henricus II ad se congregaverat coaevos illustrissimos, ex quibus R^tum^ de Wace, qui quod Gesta Normannorum scripserat, a rege praebendam Bayanam obtinuerat, magistrum Benedictum de S^to^ Mauro, qui in gratiam Henrici facta Chronica ducum enarravit; Jordanum Hanstomium qui victorias de Scotorum copiis relatas celebravit anno 1173 ; tandem Walterium Mappium, cujus insignem personam depingere mox tentabimus[5].

Acri igitur illo ingenio praeditus quod diximus et excultum esse et natum rebus agendis, Henricus cognovit (inde non parum prodest historiae regnum ejus), si vellet

1. Green, *Hist. populi Angl.*, I, p. 119.
2. Green, *Hist. populi Angl.*, I, p. 120.
3. Stubbs, *o. c.*, p. 119.
4. Stubbs, *o. c.*, p. 124, 126.
5. Maria fabulas dicavit Henrico.

Angliam rebellibus ausis liberare, quibus jam a Stephano laborabat, necessariam fore auctoritatem, ordinum classiumve privilegiis efficere validiorem. Voluit ergo totius administrationis nervos prae regis manibus reponi, ita ut legati tantummodo nobiles viri haberentur.

Quod si ad judiciariam ordinationem maxime attendit, ipsi compertum erat eum esse regni securum tutamen. Facta constitutione de Clarendon (notissima enim facta revocamus), statuit jura regalia ecclesiasticis juribus anteponenda omnibus esse. Quamobrem solius erat curiae regis statuere, utrum, quodlibet inter clericos et laïcos viros jurgium, tribunal Ecclesiae spectaret aut laïcorum judicum ; imo vero interesse oportebat cunctis ecclesiasticis causis unum regalem praefectum, ita ut quilibet clericus, nocens probatus, penes praepositorum regis auctoritatem illico traderetur.

In sessionibus Northampton (1176) Henricus II opus complevit suum reformandae justitiae, auctoritatem foedi lacessendo. Redintegravit Henricus institutionem errantium judicum simul et juratorum. Isti judices *itinerantes*, utpote Curiae regis personae, summa auctoritate fere pollebant : vice-comitibus (alias schérifs), invigilabant necnon sylvestribus dominorumque ministris. Jurati illi « legales homines » dicti, quibus assistebant in coetu duodecim equites aut eorum loco liberi homines duodecim, jurabant sese id affirmaturos quod noverant verum de factis sibi propositis. Quam judiciariam institutionem complevit Henricus creata jurisdictione administrativa, militari et religiosa.

Henrico regnante, duplex illud munus *Fisci* et *Judiciorum*, ad Curiam regalem pertinens, regulis instructum est distinctis et determinatis magis. Henricus I « Echiquier » fuerat auctor ; Henricus II « Banc du Roi » instituit, ea ipsa die qua querimonias audiens, quas excitaverant quidam

errantes judices, exactores nimium, cernensque periculum ex pluribus judicibus certe eventurum, statuit omnes causas justitiae regali submissas, deferri coram duobus clericis tribusque laïcis in Curia regis sedentibus.

Interea cum Henricus, variis decretis[1], sibi compararet exercitum cujus ope sese securum fore sentiebat, conabatur simul, episcopis, presbyteris et monachis in unum coadunatis, militiam novam acquirere quae regnum sustentaret.

Notissima Clarendon capita clare ostendunt qua pateant patrata conamina ut Clerus Regi subjaceret et minueretur papalis auctoritas. Archiepiscopi et Episcopi officialibus regiis obedire cogebantur, foedi sui vectigalia solvere, judiciisque Curiae regalis interesse, non tamen cum sententia capitalis ferenda foret[2]. Illis non licebat regni littora deserere quin prius Rex annuisset, et jurassent nil se molituros quod quid damni Regi posset afferre[3]. In causis ecclesiasticis, appellare poterant episcopi ad archiepiscopum, archiepiscopi ad episcopum, nec plus ultra[4]. Ut autem talium regularum observantia vigeret, quae sane palam Papae consiliis, de quibus supra locuti sumus, obsistebant, Henricus omni ope enixus est; vim adhibuit, ut ex historia Thomae Becket constat; scriptores etiam amicos, qui eloquentia valebant, adhibuit, ut Romanam sedem ejusque fidelissimos adjutores pessumdaret; Walterius Mappius huic audaciae inserviit. Circa regem stabat gaudens tota infimi cleri turma, quae contra Papam irascebatur propter frequentes ad Romam appellationes, sed praesertim quia Papa omnia tentabat ut Anglici presbyteri ad caelibatum sese reciperent. Anglicis enim praesbyteris carissima erat concubinatus consuetudo. Hinc inventum est, ut desi-

1. Id est : « grand écuage » et « ordonnance des armes ».
2. Art. 11.
3. Art. 4.
4. Art. 8.

gnarentur uxores illae meretrices, hilari nomine *focariarum*, cujus etymologia satis exprimit ambiguum statum harum mulierum, in curiali aut episcopali domo degentium. « Cum in Anglia, prava et detestabili consuetudine et longo tempore fuerit obtentum, ut clerici in domibus suis *focarias* habeant », hoc est quoddam decretum tertii Lateranensis Synodi[1]. Eugenius Papa IV, quia vana et inutilia manebant Conciliorum tum provincialium tum generalium decreta, coactus fuit mittere legatum, Henrico regnante, qui quam maximam partem cleri Angliae atque Hiberniae ad caelibatum revocaret[2]. Quamvis ab infimo clero et aulicis sacerdotibus juvaretur, Henricus II brevi pondus certaminis sensit. Ut plura omittamur, obiter referre licet sententiam Henrici oppugnari a triplici adversariorum genere. Oppugnantur enim docti episcopi, inter quos Ricardus de Bary, qui primus Manuscript. Latinorum collector fuit in Anglia, illustris pariter episcopus Stephanus Langton[3]; strenui, deinde, praesules, uti Becket, et postea Guillmus Longchamp, Ely episcopus, Hugo de Puiset, Durham episcopus, quorum aemulatio cruentum factura erat Ricardi, cui *Cor Leonis* cognomen, regni initium; monachi denique, qui venerant, tum e Gallia, ut carthusiani, praemonstrati, canonici regulares, Sancti Augustini, Cistercienses praesertim; tum e longinquis regionibus, ut Templarii et Hospitales, duodecimo saeculo ineunte, in Anglia radices egerant, ubi, brevi tem-

1. Labbe, *Concilia*, I, 10, p. 1633.

2. Vide Lyttleton, *Henricus II*, t. II, p. 42-228; Hallam, op. cit. *III*, p. 353-354; Wilkins, *Concilia*, p. 387.

3. Clericis tam familiaris erat lingua latina XII° saeculo, ut fateatur historicus erubescere sese si Annales conscriberet more Anglo-Saxonum « Oportet exarata barbarice romano sale condire. » G. de Malmesbury (*Gesta rerum Anglorum in primis*). Bellum Trojanum Josephi Exeter (1173) latino stylo tam polito narratur, ut diu hujus operis auctor habitus sit Cornelius Nepos. Tandem tot surgunt XII° saeculo prosaici aut metrici scriptores, ut ipsorum nomina, cum compendio nonnullorum operum, totum caput impleat libri plurimum commendati quem edidit dominus Jusserand (Ch. III et II).

pore, immensas divitias sibi paraverunt[1]. Ex iis alii obedientia, alii privata utilitate; alii ut traditis doctrinis se fideles praestarent, ad resistendum aut palam, aut tacite, Henrici secundi ambitioni adducti fuerant. Sed illa paulo post cum ipso rege extincta est, qui maturius speraverat fore ut has partes ageret quas postea Henricus octavus. Paucis post annis, Joannes sine Terra in famosa epistola Summo Pontifici haec scribebat : « Volentes nos ipsos humiliare pro Illo qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem... offerimus et libere concedimus Deo... et Domino nostro Papae Innocentio ejusque catholicis successoribus, totum regnum Angliae et totum regnum Hiberniae cum omni jure et pertinentiis suis pro remissione peccatorum nostrorum[2]. »

Non tamen caduca fuerunt omnia quae Henricus secundus facere instituerat : scilicet nova illa totius regni temperatio et consilium summam regis potestatem in totum instaurandi exitum aliquem protinus habuerunt, et inde non pauca consecuta sunt. Favente enim pace quae, pro rata saltem parte, floruit post civilia bella inter Stephanum Blesensem et Mathildam habita, Tamesis fluminis ripis et Gallici freti littoribus uti mercatores assuescere coeperunt; agrorum cultura primum invaluit et e pluribus stagnis ut aqua emitteretur dederunt operam[3]. Majorem lanae copiam apud exteras gentes extulit Anglia, et textores variis in locis societate conjuncti sunt[4]. Quinquaginta post annis, lanas e regno evehentibus vectigal imponi potuit, et Simon de Mon-

1. Paratis divitiis, mores in pejus abierunt. Cum quadam die Ricardo Cordi Leonis dictum esset : « Tres tibi sunt filiae, quae ne ad solium Dei pervenias impedient, superbia, luxuria, avaritia », respondit ille : « Omnes in matrimonium dedi, primam Templariis, secundam monachis nigris (Cluniacensibus), tertiam albis (Cisterciensibus). »

2. Stubbs : *Select charteis*, p. 184. Oxford, 1876.

3. Hallam, op. cit., p. 236-237.

4. Blomefield, *Story of Norfolk*, t. II; Lyttleton, t. II, p. 174.

teforti fabrefactos pannos vetuit in regnum inferri, cum sibi Anglia sufficere posset. Ut jam notavimus, plures in dies Anglia et Gallia merces mutabant, et in *Magna Charta* caveri oportuit ne mercatores peregrini per Angliam iter facientes aliquid detrimenti caperent. Cum tam felici negotiantium industriae accederet ingeniorum processus, qui quantus fuerit supra memoravimus, e duobus populis sensim sine sensu unus fiebat. Quibus in praeliis, ante Henrici secundi regnum, Normanni et Saxones iisdem sub signis interfuerant, in unum populi corpus coalescere coeperant, et, post bella civilia, durante pace, opus non intermissum est, donec saeculo decimo tertio peractum fuerit. Fatendum est ea ex Henrici secundi regno non recta via emanare, hoc autem aperte emanat, quod et patriciae genti bellicosae turbulentaeque, et clericis effrenis et contumacibus, et iis quos jam *Burgenses* vocabant, Henrici jugum pariter intolerabile visum est. Tres igitur ordines, ut sua commoda tuerentur et periclitantem libertatem vindicarent, olim certe foedus inituri erant; ceterum ea societas re constituta est, qua die anglicis communitatibus emancipatis, non multo sanguine, sed multa pecunia stetit, et ita factum est ut ex principatu ad unius arbitrium composito libertas apud Anglos orta fuerit.

Mappius, — et inde quidem hoc opus suam jucunditatem trahit —, est viva imago prioris illius Renovationis, cui minus deest quam alteri, cum suam vim hominibus infuderit, quamcumque in partem se converterent. Nihil est in ejus vita, in insignibus personae notis nihil quod, qualis fuerit illa Renovatio, non revocet in memoriam. Cum enim primum se habuerit circa ea quae ad commercium inter varias gentes attinent, Mappium videmus, Anglum origine, Galliam Italiamque peragrantem, cum omnis generis hominibus jungentem amicitiam, et ex omni regione, e limitibus extremis Germaniae, ex Orientis finibus narrationes colli-

gentem. Profuit etiam ingeniis duodecimi saeculi Renovatio ; Parisios igitur, feracem illam ingeniorum tellurem invisit Mappius, cum novarum rerum fautoribus et in Gallia et in Anglia conversatur ; omne genus litterarum suo tempore excultarum scriptis complectitur, praeceptiva scilicet opera, fabulas, lyrica et satirica carmina, forsitan et narrationes ex traditis de equitum praeclaris facinoribus desumptas ; in ejus denique libris notare est quidquid deprehenditur in mentibus illius aetatis hominum, juvenescentis quidem, sed ubertate ingenii carentis ; si alio spectes, senescentis, sed maturitatis fructibus expertis. — Religionem etiam attigit Renovatio, neque nos praeterit, docente Mappio, origo discriminis quo laboravit Ecclesia catholica ; non praetereunt conata quibus utraque pars malum depellere tentavit. — Politicas denique circa res versatur Renovatio : porro Henrici secundi laborum Walterius fuit particeps.

Regi in duplici contra proceres et contra clericos contentione praestitit auxilium, sale multo perfricans, nunc protervos et rudes artium optimates, nunc gulosos rapacesque monachos, nunc Romanos cardinales, propriis commodis magis quam juri et justitiae addictos. Non semel etiam in ipsum Papam invectus est. Henricum adjuvit in definiendo novo rerum publicarum regimine, et inter optimos, quos ille adhibuerit, judices ; inter maximae auctoritatis legatos annumeratus est. Summo unius imperio impensa voluntate serviens, eminuit inter maxime conspicuos viros medii illius generis in quo Normanna propago et Saxonica nondum in unam gentem confusae erant. Moribus, iis quibus in litteris studet, dotibus ingenii, Normannus, vel potius, nostro judicio, Gallus esse videtur ; repente autem, nescio quo pacto, nova progenies, cui longe alia natura est, se detegit.

Mappium igitur depingendo, mentem ejus et opera scru-

tando gratum esset nobis aliqua saltem luce illustrare tum rerum anglicarum historiae partem, quod inde ad majora proceditur, tum illud tempus quo vita populorum humanitate coepit excoli, etenim placet intueri primo impetu, qui postea in Renovationem et Reformationem erumpet, elatos duodecimi saeculi homines.

CAPUT I

De Walterii Mappii vita

De Mappio non idem omnes senserunt. Fuit tamen unus e duodecimi saeculi viris maxima auctoritate valentibus et maxime conspicuis.

§ I. *De Mappii juventute*. — Quid de Wallensibus tradat. — Ipse e pago Wallensi ortus est. Quemnam locum habuerit ejus familia. — Quonam tempore Parisios venerit. — Quid de « Latino Vico » memoret. — Quibus magistris usus fuerit. — Quid ab illis in ipsum emanaverit. — De Abelardi discipulis. — De Girardo Puella. — Quaenam fuerint Universitatis Parisiensis insignes notae duodecimo saeculo. — Mappius in Angliam revertitur. — Cum Thoma Becket habet commercium.

§ II. *Mappius in regiam ingreditur*. — Describit Henrici secundi effigiem. Vir fuit actuosus et agendorum hominum peritissimus. — Quibus vinculis Henricus et Mappius conjuncti fuerint, litteris, ingenio, eadem ratione de religione judicandi. — Quodnam esset regiae insigne. — De quibusdam personis. — De amicis et inimicis Mappii. — Quaenam fuerit ejus apud Regem fortuna. — Quomodo creverit.

§ III. *In quibus eventis, Henrico regnante, Mappius partem habuerit*. — 1170. Fretevalli colloquium cum Ludovico VII. — 1173. Judices provincias perlustrant. — 1173. Commoratio Mappii Lemovici cum Henrico secundo. — 1179. De Theobaldo IV. — De Concilio Lateranensi. — Fortuna Mappii in summum evecta.

§ IV. *De supremis annis Mappii*. — Afflictis ejus rebus, inimici in regia praestant. — De Geodefrido. — De morte Henrici Delphini et ipsius Henrici secundi. — Mappius in monasterium secedit. — 1196. — Fit Archidiaconus Oxoniensis, 1199-1203. — Episcopatum petens, bis repellitur. — Obit inter 1208 et 1210.

Exstat libellus, cui litterarum studiosi dant insignem in bibliotheca locum; quem attentis perlegunt oculis historici

cupientes hanc rem vulgatissimam, sed nunquam certis definitam limitibus, gallicum scilicet ingenium, intus perspicere; quem evolvunt sapientes viri, hilari vultu, quoties libet ex ipso fonte alacritatem mentis haurire; libello autem titulus : *Quindecim gaudia Matrimonii*. In prologo Antonii de la Salle, haec legimus : « Amico cuidam qui, cum nupsisset, quaerebat utrum recte fecisset, necne, respondit Doctor Valerius : Carissime, nonne praesto tibi est alicubi large patens fenestra, unde praecipitem te in altum flumen demittas? » Illud Valerii dictum, qui suadet amico ne ducat uxorem; lepidissimum hunc jocum, de quo apud *Calcerum*[1] et fabulam *de Rosa*[2]; at levem, hanc facetam narrationem, quam tribus saeculis triplex auctorum series retulit, quae ad nos pervenit in memoriam revocans quantos cachinnos moverit hominibus jam septingentos annos sepultis, Walterius Mappius alacris ingenii libero impetu elatus, invenit et primus narravit.

Alios et longe dissimiles ejusdem libros, nostro etiam tempore nondum esse omnino sepultos ostendendi sese nobis offeret occasio[3]. Superstes igitur est adhuc Mappii ingenium: dotes quibus narrando usus est oblivionem evicerunt. Hunc non esse totum moriturum praevidere licebat ex aequalium judiciis. Ut exemplis utamur, Giraldus Cambrensis, illius amicus, Mappii in regia aula munia laudibus extollit et refert quantis judex, quantis scriptor virtutibus inclaruerit : « Erat, inquit, Regis Henrici secundi domesticus familiaris, et ad jura tuenda justitiamque regiam exercendam associatus; vir celebri fama conspicuus, et tam

1. The joly clerk Jankyn :

> « Had a book, that gladly night and day
> For his desport, he wold rede away.
> Ne depyd it Valerye and Theofrast,
> At whiche book he long alway... just. »

2. V. 9440, 9470, 9478, 10 168.

3. *Lancelot du Lac*.

litterarum copia quam curialium verborum facetia praeclarus[1]. » Aliis in locis nonnihil laudibus addit, facete dicta et satiras illius commemorans : « Sales soporiferos sapientiae sale conditos et urbanas reprehensiones[2]. » Foliot, inclytus episcopus, et ipse amicitia cum Walterio junctus, paucis verbis quanti ut scriptor, ut jurisperitus, ut vivendi praeceptor aestimandus sit, nos edocet : « Trium peritissimus erat linguarum, in vetere et nova lege versatus; vir morum et sapientiae thesaurus, stylo limpidissimo lucidus[3]. » Sed cum fulgor Renovationis duodecimi saeculi inter cruenta bella et turpes de sancta sede contentiones exstinctus est, imago Mappii politici, litterati, religiosi viri cito obsolevit. Ea quibus de regia domo Andegavensi optime meritus est, opera nonnullius in litteris momenti, praeclarae de moribus sententiae, e memoria omnino exciderunt. Pauca tantum ingeniose dicta, paucae et breves satirae volitarunt per ora hominum, veluti reliqua rudes et parum exercitatas mentes graviore mole onerassent. Tam ingrati, tam immemores posteri non fuerunt. Munus erat nostri saeculi, futura simul magna fide prospicere et praeterita tempora colere edocti, historicorum religiosissimae fidei patientiumque laboris in lucem proferre Mappii personam, asserere illum aliquid majus fuisse quam ingeniosum virum, et ostendere in media republica versatum nonnihil etiam in moribus mutandis potuisse. Cum ii docti viri plurimum studii in rem peragendam impenderint, nobis hodie Walterii effigies se totam mirantibus offert, ut lapidea signa, quorum vix reliquiae supererant, effossa humo, grandia ossa exhibent. Unus ex his qui summopere studuerunt ut maculam oblivionis eluerent, Morley dixit non fuisse ante Calcerum

1. Opera : I, 271-289; IV, 146.
2. *Speculum* E...., p. xxxi.
3. Opera : I, cap. 12; IV, cap. 5.

majorem Mappio scriptorem in litteris anglicis, non majorem fuisse reformatorem ante Wiclefium [1].

Utinam liceat laudabilis viri [2], qui suam aetatem mira refert similitudine, effigiem exprimere, hunc sequi, quocumque se contulit, postea que ulterius procedere, et scrutari quas notas insignes habeat.

I

In via qua Londinio Cardivum itur, ultra bifurcum prope Cheltenham, primis pagi Gallensis collibus superatis, inveniuntur pascua ubi properant rivulorum aquae sub annosarum arborum umbra, sub tumulorum silvis vestitorum radicibus. Angustae valles, quibus frigidae nebulae fere semper incubant, per longam saeculorum seriem, semper virides, tristi tamen aspectu, semper humidae remanserunt. In ea regione quam interscindunt limites ab Anglia proprie dicta Wallensem pagum sejungentes, inter populum parentem quidem regibus Normannicae stirpis, moribus vero Wallensibus imbutum, natus est et vixit Walterius Mappius.

In libro *De Nugis Curialium* ad veritatem adductam ille reliquit imaginem hujus gentis, ut facile deprehendatur tales fuisse Anglos eo tempore quales hodie nobis se praestant. Cum depingit viros excelsa statura, quadrato corpore, flava coma, severo vultu, « praecipuos acerbitate impugnandi et acritudine resistendi, vitae prodigos, sed armis prudentes », cum eosdem ostendit « pacis neglectores,

1. Morley, *English Writers*, III, p. 121.

2. Omnia desumemus, sive ex aequalium operibus, sive ex Mappii libro *De Nugis Curialium*. Ultro autem praetermittemus ea quae haurire licuisset ex operibus quorum non constat hunc esse auctorem, ut ex Satiricis carminibus.

libertatis avaros... omnium rerum largissimos, ut cujuslibet alimenta cujusque sint : ne redargui possint avaritiae, tanta retinentes verecundia largitatis et hospitalitatis usum ut ante diem tertium nemo quaerat ab hospite suscepto unde sit vel quis [1] » ; cum inducit Wallensium unum, e patria profugum, ferociam gentis repente induentem ut injuriam generi illatam hac poetica provocatione propulset : « Domine Rex, salva majestate regia, Breauc rex noster tanta virtute sua suorumque praepollet, ut non possis tu vel quisquam alius rex praedam suam vi abducere, die illa qua montium cacumina mane libera sint et absque nube, et flumina vallium nebulosa [2] » ; cum fabulas enarrat in quibus rudes animos juvabat nymphas evocare tenebris abditas, quae cum viris inter silvas occurrissent, in cordibus vesanum amorem accendebant et audaces mortales divinis amplexibus libenter fovebant, donec quadam die procul a miseris aeternum vulnus servantibus subito evolarent, ad sorores rediturae prope lacus, in media nemora [3], cum, ut fert animus, passim haec et similia legentibus proponit Mappius, populum meminimus cui plurimum audaciae, plurimum consilii inter pericula, cui libertatis amor innatus, vis resistendi summa, superbia et hospitalis animus, actuosum certe et simul tactum poetico sensu populum esse : illa autem etiamnunc sunt Anglorum propria insignia. Wallenses duodecimi saeculi jam iidem erant qui Angli trecentis posthac annis : e multis unus Mappius erat, et Saxonica vel potius Celtica stirpe oriundus.

Giraldus Cambrensis asserit illum « de Anglis oriundum, Walliae tamen magis intimum [4] » ; ipse Walterius Wallenses

1. *De Nugis*, p. 94, lin. 12-26.
2. *Ibid.*, p. 78, lin. 1, 5.
3. *Ibid.* Dist. IIa, cap. 12, pag. 80, 81.
4. Giraldus Cambrensis : *De jure et statu Menevensis Ecclesiae*, Dist. VIa.

vocat « compatriotas nostros[1] »; ceterum ejus nomen Wallensi lingua significat *filium*, et hac voce Saxones utebantur ut Wallensem quemque designarent, sicuti vocabulo *Mac*, ut Scotum[2]. In libro *de Nugis* scribit Mappius : « marchio sum Walensibus[3] ». Concludendum videtur familiam ejus non in Pembrocensi comitatu, ut aliqui contenderunt parum valentibus argumentis, sed in Herefordensi consedisse[4]. Licet igitur, ex quo intentissimae conquisitiones factae sunt, certis rationibus innitendo, ubi domicilium habuerit familia Walterii demonstrare. Ante omnia, in *Domesday Book*, Godrici Mapesonis cujusdam, ut fundi domini[5] in Herefordensi comitatu fit mentio. Praeterea, circa annum millesimum centesimum quinquagesimum quintum, datus est ager *à franc almoigne*, ut dicebatur, a Rogerio de Chandos Roberto Foliot. His actis, in Herefordensi regione confectis, novem subscripserunt testes, e quibus septem erant certe comitatus incolae : inter duos autem ultimos Walterius Mappius quidam locum habet[6]. Denique tabellae prioratus Mormeslensis nonnullos agros enumerant, quibus donatum est monasterium, prope Herefordensem vicum a Walterio Mappio, filio Walterii Mappii Wormeleiani; a Nicolao Wormeleiano, filio Walterii Mappii, et ejus sorore Lucia Feldensi, filia Domini Walterii Mappii[7] (ab anno 1234 ad 1243). Nobilis igitur familia Walteriorum Mappiorum, inter annos 1155 et 1240, Herefordensem comitatum, prope

1. *De Nugis*, Dist. IIª : De Moribus Walensium, p. 94.

2. Anno nongentesimo, in Cornubia invenitur Godricus Mappius quidam (*Brit. Mus.*, 9381; fol. 86). Anno millesimo ducentesimo, Henricus Mappius tenebat abbatiam Ibresburgi (W. Lyton, *Shrophire*, 1854, I, p. 49).

3. *De Nugis*. Dist. IIª; cap. 23 ; p. 99 ; lin. 24.

4. Hardy. *Catal. hist. Brit.*, II, p. 487.

5. Dominium de Hulla (*Domesday Book*, fol. 81).

6. *Memorialis libellus de Herefordensi comitatu*, a Taylor (1655-1660). — Brit. Mus., Harley, 6726.

7. Manuscripti codices decimi quarti saeculi : Brit. Mus., Harley, 3386, fol. 68, Ward.

Wormeleium incolebat. Auctor autem libri *de Nugis*, Eques, si fas est credere Rusticiano Pisano[1], ex ea stirpe mere Wallensi ortus est. Nonne praebenda Herefordensi fruebatur[2]? Nonne, juxta chartam Glocestriae confectam, circiter annum 1186, prope Ullingvicum, in media Herefordensi regione, agros possidebat[3]?

De Wallensi sua origine non siluit quidem Mappius, sed eam sibi decori minime ducebat, quippe suos cives vere barbaros esse judicat : « In rapina et furto, inquit, gloria Walensium, et adeo eis utrumque placet ut improperium sit filio, si pater sine vulnere decesserit, unde fit ut pauci senescant[4] ». Illos « discolos » et « silvestres[5] » vocat. Non illum fugit « Saxonicam rusticitatem » in tota Europa jam esse famosam, et metuit ne sua sibi origo vitio vertatur[6]. Itaque humanitatem apud Gallos florentem admiratione prosequitur, et, ut videre erit, mores illorum urbanos, sermonis elegantiam studet imitari.

Interfuit igitur Mappius coetui celebrium in Anglia duodecimo saeculo scriptorum, qui, ut Geodefridus de Monmouth, Giraldus de Barri, Guillelmus de Malmesburgo[7], a Celtis aut Saxonibus originem ducebant. Ex his viris trahit suam significationem aetas illa, cui non est in Anglorum historia par altera, qua victi e somno excitantur, victoribus aemulantur in litteris, eorum commercio mitigantur, et sensim e duabus gentibus unam efficiunt. Quod Galli cogitant, quod Angli sentiunt : dies veniet qua nihil nisi angli-

1. *Hist. litter.*, XV, p. 496. — Delarue, II, p. 237.
2. *Vita Sancti Hugonis*, Roll. series, p. 281.
3. *Cartularium Monast. Sancti Petri Glocestriensis*, Roll Series II[a], p. 136) mentionem facit agri qui patet « usque ad quercum Galterii Map, cancellarii Lincolniensis ».
4. *De Nugis*, p. 100, lin. 15, 18.
5. *Ibid.*, p. 75, lin. 20.
6. « Volumus vos Saxonicam rusticitatem abhorrere, sed nostram subtilitatem ad id studii magis provocare » (Epist. Otton. ad Gerbertum, III).
7. Morley, op. cit., III, p. 122.

cum in se habebunt. Sed, quia rerum transitus indicium sunt, eos magni facimus et attentos animos detinent.

Circa annum millesimum centesimum quadragesimum Walterius Mappius natus est. Ejus familia, Wallensis origine, apud Henricum secundum officia obiit [1] antequam rex Angliae factus esset, ut ipse Walterius testatur. Verisimile est eo tempore quo Henricus Plantagenet, admodum juvenis, Ventae Silurum apud Robertum avunculum commoratus est Mappiam gentem illi suam fidem obstrinxisse, cujus rei memoria auctori nostro erat olim maxime profutura. Anno 1154, Henricus Ventae regali sceptro potiebatur, nec sane oblitus est, ad solium evectus, Wallensis familiae cujus ministerio usus erat puer, in Cornubiae et Wallensis pagi finibus, et quae forsitan, anno proxime elapso, partibus illius armata faverat. Quidquid id est, circa medium illud saeculum, Walterii parentes tam amplis facultatibus aucti erant ut filium in Universitatem Parisiensem mitterent. Huc advenit non diu post annum 1154, etenim Ludovicus septimus, ut ipse ait, Constantiae Castiliensi recens nupserat. Parisiis autem remansit usque ad annum saltem millesimum centesimum quinquagesimum sextum, cum Girardum Puellam audierit, qui eo tantum anno docere coepit. Reversus tamen erat in Angliam circa annum 1162, quippe qui adesset aulae Henrici secundi, dum Thomas Becket cancellarii officio adhuc fungebatur [2]. Per sex aut octo annos, quam vitae rationem tenuit juvenis ille auditor in Insula e Civitate dicta aut in colle Sanctae-Genovefae? Quomodo eum quae viderit pepulerint nonnulla ipse nobis in suo libro tradidit ex quibus haud aegre deprehendi potest : sensibus autem adeo intimis commotus fuit ut multos post annos praeteritum tempus memoria quasi praesens ei adfuerit.

1. *De Nugis*, Dist. V^a^, cap. 6, passim.
2. *Id.* Dist. II^a^, cap. 23.

Auditorum turba, in qua Germani, Angli, Galli, Itali, pauperes et divites miscebantur, gens erat turbulenta et insolitis moribus. Eratne Mappius inter eos quibus magistri stipem erogabant, qui tirones discipulos ridiculo nomine *béjaunes* vocatos expilabant, et, vespere, cum umbrae cadebant e coelo in obscuros angiportus, per « vicum ultra pontem vocatum gallice « rue du Fouarre », catenis claustrisque perfractis, frequentabant turpia loca aut praetereuntem quempiam invadebant? An potius, illorum more qui plenos loculos habebant, ambulabat per vicos et compita secum trahens famelicam fratrum turbam, flagitantium vel ut ipsi famulari liceret, vel ut tritus usu pannus aliquis dono sibi daretur, et, assidui magistrorum auditores, iis ad latus adhaerebant, sperantes fore ut nomen discipulorum obtinerent [1]? Walterius autem ita callidum se praestitit ut utrisque partibus se immiscuerit; modo enim magistrorum laudes celebrat, modo fusius enarrat quibus rixis interfuerit. Non semel hinc juvenes, hinc Judaei mercatores steterunt, cum jam moris esset in hebraïcam gentem invehi. « Ditissimus, inquit, Judaeorum omnium Franciae processionem clericorum in Rogationibus invasit, et clericum inde raptum in sentinam domus suae projecit, quia filium suum lapide laeserit. » Sed causa ad regem perlata est, qui « Judaeum in rogum praecepit projici. Nihil ei profecerunt aut totius Franciae preces aut omnia Judaïci populi millia talentorum. »

Ludovicus septimus his memorabilibus et nostro tempore dignissimis verbis respondit : « Volo sciant Judaei canes a Christianorum processionibus arcendos [2] ». Non semel inter clericos laïcosque contentio in veri nominis proelium desiit.

1. Thurot, *op. cit.*, p. 39, 40. Boetius : *De disciplina scholarum*, p. 870, 975, 980.
2. *De Nugis*, p. 217.

Sic Mappius : « Quadam die laici praevaluerunt et clericorum plurimos in pugnis et fustibus dure visitaverunt. Rex autem, ubi audivit eo furoris ventum esse contra clericos, locum pugnae invisit », « pauperrimum invenit modicumque puerum in cappa nigra, corona fracta, sanguinolentum », qui interrogatus se « a magistro cubiculariorum reginae » percussum declaravit. Tum Ludovicus jussit homicidam apprehendi, cui brachium amputatum est[1], quamvis regis uxor ut illi parceretur enixe deprecata esset. De istis duae Mappio paginae sufficiunt, soepius autem memorat quantum Abelardi et Girardi Puellae doctrina juvenes commoverentur. Mirabitur forsan aliquis quod hic de Abelardo sit sermo, cum mortuus esset anno 1142, duodecim ante annis quam Parisios iret Walterius. De re certissima disputare nullo modo in mente habemus, sed quamvis in colle Sanctae-Genovefae grandis vox inclyti viri audiri desiisset, plures quam hodie annos studiis durantibus, adeo in animis ejus memoria, adeo in scholis tradita ab eo disciplina vigebat ut virtute ab ejus ingenio emananti Walterius totus perfusus fuerit. Post octo saecula eminet adhuc, aliarum minime similis, illius effigies, in qua nihil est quod attentos animos non detineat : primum, audacia philosophi qui, duodecimo saeculo, Cartesium anteit, jam asserens nulla melius quam dubitando ratione ad verum posse perveniri[2]; qui Platonem revocat in memoriam, cum demonstrat singula quidem tantum re exstare et esse materiam unde mens humana trahat universalia, universalia vero concipi posse tanquam ante rem existentia, prout a Deo creatore excogitata sint[3]; tum auctoritas magistri qui postquam, publice

1. *De Nugis*, Ludovicus septimus, soluto matrimonio, Constantiam, regis Castiliensis filiam, in matrimonium duxerat, anno 1154.
2. *Sic et Non*. Prot., p. 17. Edit. E. L. T. Hunke, 1851.
3. Rémusat, II, 119.

docendo, Universitatem Parisiensem primo decore ornavit, eamdemque prima fama apud Europae gentes auxit, desertum in locum, prope Trecas, multos traxit discipulos, et ibi sacellum Paracleto [1] sacrum, ex hoc tempore celebre aedificavit; tum indoles hominis quemque illecebris irretientis, sensu ita acri praediti ut cujusvis esset auctoritatis impatiens [2], et alternis vicibus statim nunc in audaciam et fiduciam erigeretur, nunc desperatione depressa jaceret [3]; tum angores conscientiae cui religiosa fides adeo erat insita ut Theologiam totius doctrinae cardinem esse crederet [4], non tamen effugientis haereseos notam ab invidis aemulis inustam; cruciatae dubio coram judicibus nec invenientis unde seipsam tueretur, postea, praesenti morte, accusatoribus obsequentis [5] et in pace obdormiscentis eo quod sanctus senex, Petrus Venerabilis, jamjam moriturum benedictione recreaverat [6]; poeticus denique sensus illi philosopho innatus qui primus e nostris scriptoribus nonnulla verba casti sed aeterni amoris igne succensa reliquit. Magistrorum discipulorumque omnium oculis sane quasi praesens aderat Parisiis Magni Doctoris imago, quo tempore Mappius auditor urbem adiit. Haec legit quae ex discipulis unus (quis autem is fuerit nescimus) sepulcro inscribere non dubitavit :

Cui soli patuit scibile quidquid erat.

Mappii aures undique circumsonabant his vocibus cantilenae adversus Papam compositae qui modo Magistrum,

1. Poole, History of Mediaeval Thought, p. 126.
2. Otto de Freising, *De Gestis*, I, 47, p. 376.
3. Talem se reipsa praestitit apud Senonense Concilium et apud Suessionense.
4. Circa mediam vitam, reperte aufugit e Britannia, cum eo ivisset matrem invisurus, « maxime ut de divinitate addiscerem », inquit. Poole, op. cit., p. 143.
5. *Abelardi epist. ad Heloïssam*, p. 714.
6. *Petri epist. ad Heloïssam*, p. 713.

nomine Hilarii unius e discipulis supposito, condemnaverat.

Papa sumus, Paparum gloria,
Papae dari non est injuria;
Tort a qui ne lui donnera.
Papa captus hunc vel hunc decipit,
Papa quid vult in lectum recipit;
Papa nullum vel nullam excipit;
Papae detur, nam Papa praecipit.
Tort à qui ne lui donnera[1]

Anno 1147, paucis scilicet annis ante Walterii adventum, horum omnium memoriam renovaverat Concilium Parisiis indictum ut ferretur sententia de Gilberto Porroeo, haereseos insimulato : inclytus enim episcopus Pictaviensis eodem nomine iisdem suspectus erat. Non secus ac Abelardus, conatus erat ille ostendere ea quae sunt theologice vera esse et extra et supra humanae mentis facultates posita, nec posse attingi nisi per analogiam et quasdam verborum figuras[2]. Dum in Concilio Parisiensi primum, et anno sequente in Remensi, cui interfuerunt nonnulli Parisiensis Universitatis Doctores, magis ipsi Abelardo quam propositis ab eo sententiis infensi, ut Adamus de Parvo Ponte, qui nostri temporis peritos hydraulicorum organorum artifices antecessit, saevus Petrus Longobardensis, Hugo de Campo Florido, regis Franciae futurus cancellarius), theologicae contentiones eo pertinebant ut magna vox in perpetuum exstincta quasi revivisceret, Robertus de Meloduno, futurus episcopus Herefordensis[3], qui discipulos in schola Thomam Becket et Joannem Saresburensem habuit, plures aliqua tamen parte mutatas[4], Abelardi sententias in lucem

1. Lenient, *La satire en France au moyen âge*, p. 30.
2. Poole, *op. cit.*, p. 180 et 181.
3. Fuit episcopus Heref. electus anno 1163, et in Gallia commoratus est ab 1130 ad 1160. *Hist.* L. T. H, XIV.
4. Martène et Durand. Thes. Nov. Anad. 5, 1669. B. Joannes Cornubiensis hujus mentionem facit in numero eorum « quos in Theologia nihil Lucretium docuisse certissimum est ».

iterum edebat. Parisiis igitur, cum, anno 1154, Walterius Mappius Sequanae ripas appulit, auctoris libelli cui titulus *Sic et Non*[1] memoria admiratione et voluntatis inclinatione apud multos vigebat. Non audivit Abelardum Walterius, sed ejus doctrina imbutus est, nec semel, in libro *De Nugis* admirationem suam testatur. Sic, sermonem habens de Epistola Sancti Bernardi ad Papam Innocentium secundum, loquitur « de magistro Petro, principe Nominalium, qui plus peccavit in dialectica quam in divina pagina, nam in hac cum corde suo disseruit, in illa contra cor laboravit, et multos in eosdem labores induxit[2] ». In eodem loco, vocatur ab eo Abelardus « Bonus Magister ». Alibi depingit, minime frigido stylo, unum e devinctissimis Abelardo discipulis, Arnaldum Brixiensem, qui fuit « secundum sanguinis altitudinem nobilis et magnus, secundum litteras maximus, secundum religionem primus, nihil sibi victus aut vestis indulgens, nisi quod arctissima cogebat necessitas. »

Postquam Arnaldus Brixiensis arctissime Abelardo adhaesit et vices ejus apud scholam implevit in colle Sanctae-Genovefae, postquam Magister denuo et supremum valedixit Parisiis[3], Arnaldus urbes et rura perlustravit praedicans, et, ut ait Walterius, « quaerens non quae sua, sed quae Dei sunt, et factus est omnibus amabilis et admirabilis ». Hoc modo praedicans cum Romam pervenisset, in curiam pontificalem ingressus est, et « vidit mensas Cardinalium vasis aureis et argenteis onustas ». Quod spectaculum cum aegre ferret vir maximae fidei, per vicos et compita magna ira invectus est in eos qui votorum sacerdoti maxime necessariorum religione nullo modo obstringebantur et

1. Poole, *op. cit.*, p. 205. — Hauréau, *Hist. scholast. proed.*, I, p. 492.
2. *De Nugis*, p. 41.
3. *Hist. Pontificalis*, XXXI, p. 537. — Poole, *op. cit.*, p. 162.

Ecclesiam Catholicam a recta via avertebant : « Conveniebant ad eum cives et libenter eum audiebant... Congregati sunt ad Curiam et jurgati contra Dominum Papam et Cardinales, dicentes Arnaldum virum bonum et justum, ipsos avaros, injustos et malos, et qui non essent lux mundi, sed faex[1] ». Seditione restincta, Arnaldum Papa protinus excommunicavit haereticumque denuntiavit. Quo dicto, Mappius repente silet, neque ullo verbo vituperat eum quem, initio narrationis, laudibus meritis prosecutus est. Arnaldus, ut ipse Magister, eminet inter viros illius aevi quorum fato commovemur, quippe qui, gentibus adhuc barbaris, solutis et turbatis omnibus, sopitas hominum mentes fovere et animos adducere ut religiosae vitae legibus melius parerent totis viribus conati sunt. Non sine intimo admirationis sensu Mappius de discipulis Abelardi constanter fidis nobiscum agit, nec sine ira « Boni Magistri » adversariorum meminit. Gaufridus Autissiodorensis, qui ab Abelardo digressus erat ut unus fieret e discipulis Bernardi Clarovallensis (vitam etiam sancti viri idem postea scripsit) lepido Mappii dicto, quasi telo, in libro *De Nugis* impetitur[2]. Sed in Sanctum Bernardum, qui Abelardo maledixerat, increpans eum Antechristum et mendaciorum machinatorem esse, qui clamitabat hunc « esurire et sitire sanguinem animarum[3] », qui senem ante judices Concilii Senonensis protraxit et victum caput demittere coegit, culpam praesertim confert Mappius. Nunc de illo dicit : « Lucere coepit inter alios, imo super alios, ut Lucifer inter nocturna sidera, vir eloquentiae promptae, qui bigas circumduci per civitates et castella faciebat, quatenus in

1. *De Nugis*, p. 43.
2. Quae per eum fiebant miracula Gaufridus Autissiodorensis scribebat : *ipsi credite*. (*De Nugis*, p. 41.)
3. Epist. 195, 331, 335, 338. — Gaufridus. *Vita Sancti Bernardi*. Lib. III, cap. v, pag. 4.

eis credentes sibi deportaret in claustra[1] ». Nunc irridet miracula ejus ut falsa et tanquam imprudentem accusat — de hoc posthac iterum quaestio erit — incidisse in errores culpa quidem aliquando vacantes, saltem vero ridiculos. Hoc sit exemplo : Amicus quidam sancti Bernardi, Walterius, comes Nemeriensis, in Carthusianorum monasterio mortuus erat ibique sepultus. « Convolavit igitur Dominus Bernardus ad sepulcrum illud, et, cum diutissime prostratus orasset, oravit eum prior ut pranderet; erat enim hora. Cui Bernardus : « Non recedam hinc donec mihi loquatur frater Walterus », et exclamavit voce magna, dicens : « Waltere, veni foras! » Walterus autem, quia non audivit vocem Jesus, non habuit aures Lazari et non venit[2]. »

Non fieri potest ut inimicus inimicum salsius derideat. Reipsa adversarii Abelardi a Mappio inimicorum, discipuli amicorum numero habebantur. Quanquam ille Nominalium principem non audierat dicendi peritissimum, Magistro admiratione haerebat ejus que disciplinae et opinionibus. Dialecticae studio, affectu animi in dissidentes propenso, ira in Romam et Cardinales, desiderio reformationis mores et religionem spectantis, discipulus Abelardi posthumus, si modo hujusmodi vocabulo liceat uti, Mappius fuisse videtur.

Sed non tantum subtilis disputator, non tantum vivendi praeceptor fuit ille; fuit quoque juris et rerum publicarum peritus. Girardum Puellam audiendo ad hoc alterum munus se instruxit, erat enim Girardus, anno 1154, veniente Parisios Walterio, in tota Universitate Parisiensi magister notissimus. Illius scholam, si fas est auditori fidem adhibere, frequentabant advenae maxime conspicui, qualis fuit

1. *De Nugis*, p. 40.
2. *Ibid.*, p. 42. Sic in Wright editione.

Hungarus ille « cujus mensa communis erat sibi cum pauperibus, ut viderentur invitati convivae, non alimoniae quaestores[1] ». Non minoribus curis exercita fuit illius juris canonici et romani professoris vita quam Abelardi collegae, cum in easdem suspiciones, in easdem calumnias incurrerit. Onere docendi lassus, Coloniam Agrippinam se contulerat ibi commoraturus; res autem fuit insigni infamia, grassante his temporibus in urbe haeresi : conclamatum est igitur Girardum nominis decore et vi ingenii rebellibus ferre auxilium. Tum Johannes Saresburensis, angoribus confectus, secum ipse quaerere vera ne an falsa nuntiarentur; Thomas Becket ad Girardum scribere non ipsi concessum iri ut in Angliam eat nisi fide data fore ut Deum non offenderet[2] : post breve tempus, Coloniam, quam reliquerat, Girardus repetit, et a schismaticis accipit beneficium, sed, statim excommunicatus[3] veniam sibi impetrat damnata tantum palam haeresi et repudiato beneficio. Sic publice poenitenti licuit tandem Angliam petere, ubi episcopus Coventriacensis factus est[4].

In libro quem optimo jure illius esse agnoscimus, tradidit Mappius illa duo nomina magistrorum Universitatis Parisiensis, nec ullius amplius mentionem facit[5]. Num versatus fuerit aliorum in scholis, ut Adami de Parvo Ponte et Guilielmi a Conchis, celebris discipuli Bernardi Carnutini[6]? Num aliquandiu Carnuti manserit, in insigni illa schola, humaniorum litterarum arce, in qua Aeneida interpretabantur ut inde praecepta de moribus sumerent, in qua ipsi juvenes versus a sodalibus latina lingua conditos,

1. *De Nugis*, p. 73.
2. Epist. *Sancti Thomae*, I, p. 283, 286, 295.
3. *Ibid.*, p. 300.
4. *Hist. litter.*, XIV, p. 301.
5. Versus quidam, qui illius esse vulgo feruntur, alludunt, ut videbimus infra, ad alios magistros. Sed in hoc nihil perspicuum, nihil certum.
6. Mortuus est Parisiis, sub finem anni 1154.

praesente magistro[1], alterius vicibus reprehendebant ut emendarentur, neminem certo scire fatendum est.

Quonam vero ex fonte praeclaram illam latinorum auctorum cognitionem[2] Mappius hauserit non quidem nobis compertum est; rursus autem perspicue cernitur unde ipsi manaverint et scientia juris excellens, et vehemens dialecticae studium, et firma in reformationem religiosam voluntatis intentio, quae omnia efficiunt ut regiae potestatis defensor acerrimus, orator dicendi peritus, clericus auctoritatis impatiens simul fuisse nobis appareat. Quam stupendum in modum Abelardus, Arnaldus Brixiensis et etiam Gilbertus Porroeus animos commovissent, res ipsae brevi testatae sunt, et sparsa libertatis semina in amplam messem undique creverunt. Quod saeculares viri facti essent doctrinae participes, res erat maximi momenti. Procul dubio Ecclesia adhuc erat soli domina, cum Episcopi, Baronum titulum sibi assumentes, inter regni proceres numerarentur, sed in animos hominum minus imperium exercebat ex quo scholarum juventus inquieta et petulans illius jugum vix non excusserat; ideo Summi Pontifices, cum conscii essent periculi, Doctoribus ad nova quaeque propensis Dominicanos et Franciscanos in Universitate adjunxerunt. Incipiebat apud scholas regularis clerus saeculari immisceri[3] tum quum Mappius sedem sibi Parisiis constituit, ita ut rixis non paucis interfuerit, quarum servata memoria, facile est intelligere quomodo erga plerosque monasticos Ordines primis duodecimi saeculi annis repente ortos, se gesserit. Unde concludendum videtur : Diu commoratus in Univer-

1. Poole, *op. cit.*, p. 122.

2. Videbimus infra quos auctores potissimum citet.

3. Eae simultates semper oriebantur inter regulares et saeculares clericos, e quibus constabat Theologiae facultas. Post turpia proelia, suadente sancta Sede, ordines monastici creaverunt Parisiis, alumnis suis, scholas ab aliis distinctas. (Thurot, *op. cit.*, p. 30, 31, 113, 114. — Lenient, *op. cit.*, p. 21.)

sitate Parisiensi, cui decus certe Canonici et Romani Juris professores[1] aliquandiu addiderunt, immortale vere nomen pepererunt audaces et subtilis scientiae Theologi. Walterius Mappius cum legisperitis nostris, Abelardo etiamque Wiclefio cognationem habebat. Jure dicas eum legisperitum esse virum qui se in properatam Renovationem et immaturam Reformationem praecipitem dedit.

Ut jam diximus, reversus est Mappius in Angliam ab anno 1160 ad annum 1162. Quam fortunam his temporibus expertus fuerit, statimne illum Rex admiserit inter suos non satis constat. Ab anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo ad millesimum centesimum sexagesimum tertium, Henricus non venit in Angliam, sed apud Gallos in suis provinciis mansit, cancellario Thomae Becket, cui tunc plurimum confidebat, commissa regni tutela. Anno tantum 1162, regius ille Minister, splendore fulgens, in quo doctrinae litterati viri — erat enim Johannis Saresburensis amicus, et alumnus Roberti de Meloduno, Abelardi discipuli — bellica virtus equitis non indecore accedebat, — etenim in Normannia contra Gallos non semel equitaverat[2] — Henrico precante, pene tamen invitus, consecratus est archiepiscopus Cantuariensis. Amicitiae vincula, quibus insignis filius Normanni mercatoris Andegavensi regi conjunctus erat, jamjam frangenda.

Cur verisimile non videatur Walterium Mappium, faventibus magistris quos Parisiis audierat, et inter eos Roberto Melodunensi, a Thoma Becket, adhuc cancellario, in numero regiae Curiae clericorum adscriptum fuisse? Si pro vero illud habeatur, Mappius Thomae gratia, qui omnia poterat, in Curiam ingressus est, at semel introductus non

1. Jam diximus Univ. Parisiensem juridicis studiis non impensam operam dedisse.

2. *Hist. génér.*, II, p. 615.

commisit ut archiepiscopum Cantuariensem jura Ecclesiae tuentem sequeretur; totis contra viribus enisus est ut Henrico fieret in dies gratiosior. Ea omnia vero proxima esse judicabimus, si animum attenderimus ad duo quae in libro *De Nugis* leguntur. Hic enim narrat Mappius se de civibus suis Wallensibus cum « beato Thoma, tunc cancellario Domini mei Regis Henrici, scilicet secundi[1] » esse collocutum ; hic quaedam refert in sanctum Bernardum maledicta quibus praebuit aures « dum aderam, inquit, in mensa boni Thomae, tunc archiepiscopi Cantuariensis ». Commercium igitur habebat Mappius cum Thoma, adhuc cancellario ; quo postea archiepiscopatum adepto tam familiariter utebatur ut saepe cum illo collocutus sit, ad coenam ab eo vocatus fuerit, eumdem denique *bonum* dixerit, quod vocabulum conferre in unum Abelardum solere videbatur. Ne quid omittamus, addere decet in libro *De Nugis* a Mappio ne subobscure quidem de caede Thomae mentionem fieri, et inde recte concludi ipsum non eo admirationis venisse ut clam palamve archiepiscopo in contentione contra Henricum secundum fautor adesset.

II

Mappius, in regiam Henrici per Thomam, ut videtur, ingressus, brevi tempore in altum a Fortuna missus est. Antequam autem illum sequamur nova consilia molientem, et ipsius ope quomodo in palatio regum Andegavensium viveret, qui fuerint amici, qui adversarii scriptoris nostri exponamus ; antequam dicamus quas partes impleverit, quae munera obierit in errabunda, utpote cui non una patria esset, principis familia, et peragentis cursum vestigiis insis-

1. *De Nugis*, p. 99.
2. *Ibid.*, p. 41.

tamus, conabimur, ex ipsius opere non pauca mutuando, regis Henrici effigiem in summa depingere. Ceterum in multis rex et Mappius maximam habebant inter se similitudinem, unde facile intelligitur cur hujus fortuna tam cito creverit.

In una e narrationibus, de quibus in capite sequenti disserendum erit, facetum spectaculum nobis Walterius ante oculos ponit, et illud quidem placet exhibere, cum regis indoles naturam sequentis in hoc optime deprehendatur, et qualis fuerit appareat. Ostenditur Henricus equitans, quod illi non semel accidit, per magni imperii provincias, et « praecedens, ut ei mos est, totam illam infinitatem militum ac clericorum ». Reluctans contra ventum, qui ea die vehementer saeviebat, « verbum faciebat » tamen cum duobus e clericis quos in contubernio habebat, Mappio scilicet et Rerico quodam. Ecce autem obvius fit alba veste monachus qui vicinum oppidulum petebat, ut negotium aliquod conficeret. Statim ille via decedit regiae cohorti, sed offenso pede impingitur in lapidem. « Non portabatur ab Angelis tunc, ait narrator, et coram pedibus equi regii corruit; ventus autem vestes ejus in collum propulit, ut Domini Regis et Rerici, oculis invitis, manifesta fieret misera veritas pudendorum ». Quo repente viso, equus declinatione corporis monstrum effugit, et Rex « omnis facetiae thesaurus » cum cachinno concuteretur, vix impetum risus inhibuit. Rericus autem, gaudente Mappio, Cisterciensibus infensissimo, murmurare secum : « Maledicta religio quae develat anum![1] »

In hac narratiuncula reperire est insignes notas quae, si licet credere Mappio, Henricum ante alios conspicuum faciebant, scilicet ardorem equitis rebus agendis nati, Domini erga suos benevolentiam, sales Andegavensis ingenii. « Mediocris

1. *De Nugis*, p. 52-53.

staturae, summos excedebat in modico, vir membrorum integritate vultusque venustate beatus, et quem miles diligenter inspectum accurrebat inspicere. » Venationis appetentissimus, insomnias et labores pari facilitate perpessus », pressurae pulveris et luti patiens. Quoties in somnis eum imaginaria voluptas agebat, corpori suo maledicebat, quod nec labor, nec abstinentiae frangere vel extenuare valerent. « Irae imperabat », ut pote qui lacessitus injuriis, eas silens perferet. Semper itinerans erat « in hoc familiae sequenti nimis inmisericors [1]. » In rebus agendis acerrimus, ea dote praefulgebat sine qua immensum imperium nunquam administrare potuisset, nec aliud erat quo illius aetatis homines magis commoverentur, cum nihil esset magis necessarium turbatis temporibus, in gente gentibus e multis coalescente. Alia tamen dote adhuc rariore, qua principes regni carere non possunt, Henricus eminebat, subtili nempe judicio, quod ex acumine ingenii, ex simplicitate et comitate animi totum constat. Sagax erat judex Henricus, teste Mappio, cum scribit : « litteratus ad omnem decentiam et utilitatem, nullius comitatis inscius [2] » ; moribus etiam simplex : « Pretiosissimis semper redimitus, ut erat, non apponit superbiae, nec aliquid altum sapere praesumit, nec unquam elatione aliqua lingua ejus intumescit, nee se supra hominem magnificat, sed quae foris apparet in veste, semper est in ore munditia [3] ». Quod ad bonitatem Henrici attinet, multis laudibus hanc prosequitur Mappius : nunc enim magnanimitatem regis extollit [4], nunc largitionis beneficiorum quae in addictos sibi aulicos effundebat [5], lectorem admonet : alio loco probat eum fuisse

1. *De Nugis*, p. 227.
2. *Ibid.*, p. 227.
3. *Ibid.*, p. 60.
4. *Ibid.*, p. 196.
5. *Ibid.*, p. 59.

« occultum auctorem, ne pateret sinistrae quod dabat dextera ». Nonne coram Galliae rege et proceribus regni, « qui, quasi sagitta subita percussi, obmutuerunt [1] », exclamavit quadam die se sexaginta millia « marcarum » libenter dare, ut Christianis in Oriente laborantibus auxiliaretur? Hujusmodi dotibus rex Angliae sibi sinceram multorum paravit amicitiam, ut Thomae Becket; multorum fidelem operam, ut Walterii Mappii, quo ab initio regni usque ad mortem convictore usus fuit [2].

Alias etiam ob causas auctor libri *De Nugis* erat Henrico regi maximo studio devinctus; illorum enim inter ingenia similitudo quaedam intercedebat. Ambo erant litterarum studiosi; ambo gaudebant salse et lepide dictis; ambo eadem de religione sentiebant. Rex patrem referebat semper intentum in occasionem sibi obstringendi juvenes egregios, quibus annuam pecuniam praestabat, ne ab inceptis studiis desistere cogerentur. Filius eodem modo se gerebat, ait Petrus Blesensis « quoties enim poterat a curis et sollicitudinibus respirare, secreta se occupabat lectione, aut in cuneo clericorum aliquem nodum quaestionis laborabat evolvere [3] ».

Forsitan « in cuneo clericorum » Mappius primum regi innotuit, et placuit illi tum litterarum peritia, tum paratissime respondendo. Etenim Henricus erat « in legibus constituendis et omni regimine corrigendo discretus, inusitati occultique judicii subtilis inventor [4] », et ita fiebat ut scientia juris et dialectica quibus plurimum pollebat Girardi Puellae discipulus ab ipso maximi pretii esse ducerentur. Praeterea linguas omnes didicerat « quae sunt a mari Gallico

1. *De Nugis*, p. 230.
2. *Ibid.*, p. 227.
3. Petrus Blesenois, Epist. 66.
4. *De Nugis*, p. 227.

usque ad Jordanem, sed latina tantum utebatur et gallica ». Is erat igitur qui cum Universitatis Parisiensis auditore, litterato viro, ut ejus declarant opera, colloqueretur. Quoniam autem Maria, regia virgo, suas fabulas Henrico dicavit, minime miramur quod ille a Mappio, ut hic scribit, commenta et narrationes quibus aulici delectabantur, colligi jusserit. Sic Henricus fuit barbarus veluti Medicius ante Mediciorum tempora, Mappius vero quasi Decamerontis auctor ante Boccatium[1]. Nec semper de scientia juris, aut de litteris, tum latinis, tum gallicis sermonem habebant. Nonnunquam enim in cachinnum aut, lasciviente libidine, in scurriles jocos colloquia inter regem et clericum exibant.

Haec audire libeat, unde patebit gratum fuisse Henrico seriis quorumdam monachorum verbis cavillationibus respondere, et urbani famuli nugis aurem commodare gratissimum. Quadam die, comitante Walterio, Cisterciensium Henricus monasterium in Anglia septentrionali adierat, cujus prior regium hospitem et ejus asseclas per spatiosas aedes, per areas, per atria, per culinas jucundas aspectu et suave olentes circumducebat. Confabulantes tandem venerant ad Capituli conclave, cum prior, elata voce, vestibus graviter compositis, exclamat, nil humile sonans : « Domine, locus est hic locorum omnium quem amplius odio diabolus habet, quoniam hic errata corriguntur; hic peccata puniuntur; hic exorbitantes ad viam veritatis atque salutis reducuntur. » Tum rex, ad Mappium conversus, cujus saeva contra Cistercienses convicia recordabatur, respondit priori (dictum autem in flagella et virgas cadebat) : « Nec mirum si locum hunc prae ceteris locis omnibus magis exosum habet perniciosus ille suggestor, multoties enim in eo vapulant amici sui boni. » — Alias, regem a venatione redeuntem

1. Vide in seq. capite. — *De Nugis*, p. 140.

adierunt duo priores ejusdem ordinis, illum deprecaturi ut tertii monasterii olim florentis, nunc pauperrimi saluti consuleret, cum a regiis ministris uberes agri, in silvas venatui aptissimas convertendi, ablati essent. In regis conspectum admissi monachi toties probatam ejus benignitatem et in Deum pietatem imploraverunt. Sibi justae causae sponsorem esse Deum testabantur affirmabantque ab illo centuplum redditum iri. Rex autem inops consilii, in diversa agitatus, hinc liberalitate innata, hinc venationis amore, consiliarios ad se vocat, et in iis Mappium, ut decebat. Tum monachi iterum probare conantur quam sit legitima rogatio, iterum asserunt Deum sibi fore sponsorem, sed Mappius, occasione callide arrepta, aliquid regi susurrat in aures, qui subridens protinus exclamat : « Per oculos Dei! (quoniam hoc uti sacramento consueverat) justum est et rationi consonum ut fidejussores ipsi super rebus unde fidejubere debent, loquentes audiantur, et sic surgens cumque modico et non sine cachinno recedens, abbates confusos a spe concepta, vacuos tunc omnino relinquit[1] ».

Haec quam intima esset inter duos acris ingenii viros conjunctio, quam iisdem simultatibus et odiis parerent in rebus ad religionem pertinentibus ita ostendunt ut negari non possit. Henricus sane multum aberat a rerum divinarum contemptu, non modo gratum erat ipsi, ut vidimus, ob pietatem laudari; non modo clericos in familiaritate et consiliis habebat[2], sed in eos saeviebat qui unitatem catholicam in Anglia frangere tentabant. Cum turba Catharorum Colonia ejectorum in suum regnum venisset perfugium quaerens, Henricus Oxoniae synodum indixit quae de iis statueret ; de nonnullis supplicium sumptum est ; alii in car-

1. Haec inveniuntur apud *Speculum Ecclesiae* Giraldi Cambrensis, et iterum in Introductione ad Poemata Mappii tributa, p. XXXI et XXXII.
2. *De Nugis*, p. 52.

cerem missi; alii candenti ferro adusti sunt [1]. Attamen in historia certaminis instituti cum Summi Pontificis crescente singulis diebus auctoritate, nomen illius omitti non potest. Archiepiscopi Thomae caedes non est nisi discrimen ultimum belli nunquam interrupti in quo ad hunc finem spectabatur ut Ecclesia regiae potestati fieret subdita. Credere licet labores susceptos animo regiam quidem jurisdictionem proferendi, ecclesiasticorum vero tribunalium dominationem imminuendi nequaquam gratuitos fuisse, nec tentabatur arduum opus efficiendi ut anglicus clerus, apud quem mores contaminati erant, ad meliorem frugem se reciperet, sed omnia eo consilio agebantur ut Domini nullam admittentis, praeter suam, auctoritatem libidini in dies ferociori satisfieret. Ut videre erit, Walterius in partem regiae irae contra Papam veniebat, in partem etiam inimicitiae contra quosdam religiosos ordines labori manuum unice intentos; sed ad eamdem sententiam longe dissimiles eos causae deducebant, scilicet ille, specie assimulatae in immodicum Romani Pontificis imperium indignationis, ardens celabat desiderium dominandi in clerum ut docili clero uteretur; hic, jocosis verbis, christiani aegre patientis fidem suam dedecorari generosam iram dissimulabat. Quidquid id est, quamvis alter ab altero sensibus animi plane differret, cum ambo eosdem eodem impetu adversarios aggrederentur, duo illi viri, quos similia in litteris studia, similes ingenii dotes jam contrahebant, simili etiam ratione de religione judicandi consociabantur.

Necesse erat Henrici indolem plenius depingerem ut intelligi posset quomodo Mappius tam insignem fortunam expertus fuerit : ordinatim illum ad honores promovendo, eligendo hominem qui sibi serviret, unum e Wallensibus

1. Schmidt, *Historia Albigensium*, I, p. 98. — Bouquet, XIII, p. 187.

quorum opera studiose utebatur ne sua Domus videretur ab adoptiva patria aliena[1], plus quam propriae utilitati consulebat Henricus, cordis enim affectibus parebat. Sic, favente rege, inter omnes in aula Mappius brevi eminuit.

Utens igitur descriptione quam reliquit, quaenam esset indoles hominum inter quos vixit, laboravit et enituit, exponere aggrediar. Modo dixi Henricum fuisse asperum cultu Medicium ante Mediciorum tempora, plurimum enim interest non errare. Si quis legentium mente praesumeret regiam familiam ad humanitatem excultam, regias aedes ingenti apparatu ornatas se inventurum, ubi vir princeps nonnisi raro in suorum conspectum veniat, neque unquam diadema deponat, sibi ipse strueret insidias. In familia, Henricus nullo modo refert habitu summum imperii rectorem qui solus procul ab omnibus sedet, ne quid de majestate detrahatur. Audito autem in limine regiae tumultu, egreditur ille foras quaesiturus quid hoc sibi velit; audito joco, in quo reverentia erga dominum minime servatur, dummodo haec non ineleganter dicta sint, vultu semper sereno nullam iram concipit. Quadam die, sanctus Hugo, Lincolniensis civitatis episcopus, cum mane ad regiam accederet, in turbam famelicorum incidit, quos servi non sine vexatione procul arcebant. Vocatos cum interrogaret, responderunt : « Forestarii sumus. — Ergo, retulit episcopus, forestarii foris stent. » Quod rex interius audiens (parietes autem, ut videtur, parum crassi erant) risit et exiit obviam ei. Cui prior : « Vos tangit haec parabola, quia, pauperibus quos ii torquent paradisum ingressis, cum forestariis foris sta-

1. Constat quam enixe laboraverit Henricus quo plus posset in regione Wallensi. Si contendit cum Girardo de Barri, nolens eum fieri Sancti-Davidis episcopum, in animo tantum habuit ab episcopali sede arcere sacerdotem agendi cupidum, ambitionis non expertem, qui illi dioecesi suum pristinum decus restitueret. Si hortatus est Godefridum de Monmouth ad scribendum, aut saltem ad tuendam fabularum Glastonburgensium auctoritatem, per eas veteris Cambriae Celtarium superbo patriae amori morem gerere licebat.

bitis[1]. » Rex « autem hoc verbum serium accepit pro ridiculo ».

Non sane tam maligne monenti arrisisset Ludovicus decimus quartus; non tam bono animo blanditias flagitatorum pertulisset, aut querelis aurem praebuisset; nec magis placuissent gestus sermonibus accedentes : « Quoties exit, arripitur a turbis et in loca distrahitur, et quo non vult impellitur, et, quod mirum est, singulos audit patienter, et injuriatus ab omnibus cum clamoribus, cum tractibus et violentis impulsibus, inde nemini calumniam facit aut irae similitudinem, cumque nimis angustiatur, fugit ad loca pacis[2] ». Ex illa Regis effigie qui non modo « nihil superbe, nihil tumide facit », sed etiam non horret manibus egentium praeteriens arripi, in diversa distrahi, ab illo probris, ab hoc precibus onerari; cui nulla saepe salutis via superest praeter fugam, ut viscatos amplexus effugiat; ex illa, inquam, effigie statim intelligimus quaenam fuerit illa « curia » in qua Mappio vivendum et laborandum fuit. Nullus ibi apparatus, pompa nulla. Qui rex vocatur non est summus rerum arbiter, sed herus cujus impensis vivitur, de quo non bene merentur nisi ut quam maximam pro meritis gratiam rependat. A « patrefamilias[3] » alii obeunda munera petebant; alii vestibus erant contenti; alii denique ut sibi panis, vinum, candela erogarentur efflagitabant, eodem modo quo hodie cibum, lumen, ignem sibi vindicant. Audiatur potius quantis laudibus Henrici primi memoriam Mappius prosequatur : « Omnes decessores suos regimine tranquillo vicit et divitiis, et magnis per totum christianismum impendiis. Ter in anno vestiebat Ludovicum Franciae regem et plures principum suorum. Scriptos habebat omnes

1. *De Nugis*, p. 7, lin. 6, 11.
2. *De Nugis*, p. 231, lin. 5, 10.
3. *Ibid.*, p. 226, lin. 3.

comites et barones terrae suae, constituitque eis in adventu vel mora curiae suae certa exennia, quibus eos honorabat in candelis, pane vinoque[1]. » Proximo loco, Mappius ad idem propositum revertitur, et ita rei immoratur ut interim credas Henrici secundi convivia parum lauta, tenues nimium dapes illi visas fuisse[2]. « Nemo diebus illis pauper, nisi fatuus. Cibus et potus avidius dabantur quam sumebantur. Cuicumque propositum erat ex alieno vivere, ubique tam gratanter exhibebatur, ut nusquam ignominiosae vitae puderet.[2] »

Ne tamen in errorem inducamur hac regiae vitae duodecimo saeculo simplicitate. Nondum quidem assueverant aulici petere sibi fructuosa munia aut honorifica insignia, sed non minor erat pecuniae aviditas, non minor aemulatio, cum jam turpibus vitiis « curialium » animi inficerentur. In hoc familiarium coetu numerosissimo, ut refert Mappius, e quibus non erat qui unquam a rege discederet, qui non eum ubique sequeretur[3]; in turba mutabili, « nunquam in eodem statu permanente[4] », jam quanquam in minore area, invenire erat atrocem invidiam qua uritur quisquis cum principibus gentis auctoritate praevalentibus conversatur. Apud Henricum secundum ut apud Ludovicum decimum quartum, ut apud eos qui publicis rebus hodie praesunt, multi fata aspera non rumpunt, multos amor sui effrenatus agit in proelia. In consiliis Henrici, in regalibus officiis olim, in publicis muneribus hodie apud nos, integri vitae, nunquam a recta conscientia aberrantes viri in aequore vasto rari apparent. Mappii verba iterum audiamus. Duae sunt similitudines quas illum in libri principio et fine referre juvat. Quae se spectantium oculis praebent in Henrici regia com-

1. *De Nugis*, p. 224, lin. 21, 27.
2. *Ibid.*, p. 226.
3. *Ibid.*, p. 14, lin. 3.
4. *Ibid.*, p. 1, lin. 5, 6.

parat cum iis quae de Proteo tradit fabula. Corpus enorme, sic enim placet poetis, sine fine immutabatur, ut, avulso membro, alterum renasceretur; mutilum hodie et informe monstrum cras integrum stabat; laesa exteriore forma, nihil sublatum erat quod vitae foret necessarium : item de bellua turpi et horrenda, cui capita mille, quae regia aula vocatur : « Multitudo certe sumus infinita, uni soli placere contendens »; « et hodie sumus una multitudo, cras erimus alia. Curia vero non mutatur; eadem semper est. Centimanus gigas est qui, totus mutilatus, totus est idem[1]. »

Altera collatio qua Mappium juvat uti non minus usu trita videretur nisi meminissemus illis temporibus modo natas Europae gentes, aetate adhuc veluti puerili pueriliter cogitasse. Quasi inferi domus regia, non tam propter dolores eo venientibus tolerandos quam quod vitiorum omnium est receptaculum. Unumquodque capitalium peccatorum aliquo e Tartareis fluminibus, Acheronte scilicet, Styge, Phlegethonte, Cocyto, Lethe expressum, non in subterraneis sedibus pestifero aere infectis desaevit, sed solis sub luce, in domo ante omnium oculos patenti, coram illo qui Dei in his terris vicarius est : « Styx est odium nobis innatum ex alieno vel nostro vitio; Phlegethon ardor cupiditatis et irae; Lethes oblivio beneficii Creatoris et promissionis in baptismo datae; Cocytus, luctus ex nostris nobis inflictus excessibus;... Acheron tristitia, scilicet vel ex dictis vel ex factis poenitentia, vel ex cupitis et non assecutis; flagitiorum aut flagella poenarumve passiones hic assignare possumus; Charon (in his animi aegritudo apparet) inferni portitor, neminem in cymba transvehit, nisi qui stipem ab ore porrigit : ab ore dicitur, non a manu, quia noster portitor, si promiseris, obsequitur; si dederis, te non cognoscet

1. *De Nugis*, p. 2, p. 238.

amplius. Sic frequenter et in aliis, in Curia praejudicat umbra corpori, dubietas certitudini, datis promissio[1]. »

In eo loco inferorum simillimo, et quia fragilis amicitia, multa infidorum animorum oblivia, invidia vel optimis diffidens[2] saevos dolores honestissimo cuique pariunt, et quia coetum hujusmodi foeda vitia dedecorant, odium, cupiditas, mendacium, vivit, luctatur et perit turba lucrosa munia et pecuniaria commoda acriter quaerens. Utrumque simul obtinet cum judiciarium aliquod officium, qualecumque est, contingit ut arripiat. Ea quae « condimenta » per jocum vocabantur certe non primum excogitata sunt decimo octavo saeculo, jam enim duodecimo, omnes ad unum justitiae ministri, vice-comes, sub-vice-comes, bedellus, praeco, a summo ad infimum gradum, officia sibi delata ad id tantum pertinere censebant ut annui reditus in futurum sibi pararentur. « Di nihil intactum linquunt, nil intentatum, et apum instar innocentia puniunt : venter tamen evadit impune; insident floribus ut mellis aliquid eliciant, et tamen, in potestatis initio, jurant coram summo judice quod fideliter et indemniter domino ministrabunt et sibi, reddentes quae sunt Caesaris, Caesari; quae Dei, Deo[3]. »

Frustra igitur nonnulli ex his qui perfectum exemplar obstinate intuentur, ut J. Ruskin, de duodecimo saeculo loquuntur quasi fuisset aetas aurea, quam temporis nostri vitia fugerent. Non certe publicis officiis praepositorum sordes, non asperae simultates, e propriae utilitatis amore natae, inter eos qui ad reipublicae principes propius accedere gestiunt, horrenda hominum strages in ambitionis

1. *De Nugis.*
2. Citabimus ulterius locum, in quo scite Mappius ostendit aulicos aemulis insidiantes, et, quoties opus erat, virtutem falso nomine vitium, pulchre factum scelus appellantes.
3. *De Nugis*, p. 8, lin. 13, 18.

proeliis occidentium, haec omnia non sunt proprium aut nostro, aut alii aevo spectaculum, sed ex humana conditione ita consequntur ut vitari nequeant : eadem sunt quae, decurrente duodecimo saeculo, Mappius vehementi stylo notata, sine asperitate tamen insectatus est.

Unum est quod Henrici secundi aulam insignem inter alias faciat, videlicet principis viri acuta simplicitas et sine apparatu vitae simplicitas; his adde ferocem quorumdam virorum animum. In lucem illos proferre conabimur, quoniam diversis suae vitae temporibus cum iis Mappius consuetudinem habuit, cujus rei nobis tradidit memoriam. Unusquisque autem eorum propterea conspicuus est quod indole sua ex aliqua parte regnum Henrici in conspectum reducit : Guilielmus enim de Tancarvilla nos procerum feudalium immemores esse non sinit, eo magis seditiosorum quod sibi minas impendere intelligebant ; Ranulfus de Glanvilla eminet inter equites regi fideles multumque laborem impendentes in rerum publicarum administrationem emendandam, Henrico auctore; Gilbertus Foliot celeberrimus est propugnator doctrinae quam in colluctatione contra Thomam Becket tuendam rex suscepit.

Guilielmus e tribus minime notus, licet genere nobilis, praeclaram tamen sui memoriam in illius temporis historia non reliquit. Verissimam exhibet, teste Mappio, procerum imaginem quorum bellicosus animus Regi et communitatibus pariter in odio erat, qui aliquando adeo impavidos se praestabant ut insanire viderentur, adeo arrogantes ut nescio quid tragicum in ipsis inesset. « Summus in feudo regis Camerarius, vir nobilis genere, singularis armis, viribus magnificus. » Guilielmus de Tancarvilla a Rege timebatur, cujus ad aures pervenerat magna fama de illo viro in ludicris certaminibus saepe victore ; quem non fugiebat usus inter eum et Galliae regem etiamque alios

suae potestatis adversarios intercedens, qui denique Guilielmum vocari « patrem equitum, panem pauperum et eum qui posset ad nutum quorumlibet corda mutare ». Alio loco scribit auctor noster : « Dejecit omnia municipia quasi cornua sibi retundens et leges ei debitas libertatesque negavit, et nimiam inimicis suis dedit in possessiones suas potestatem. » Quadam die, cum solemni convivio simul adessent Henricus ejusque tres filii, Godefridus, Henricus et Ricardus, necnon et Henricus Leo, dux Bavariae et Saxoniae, qui profugus ab Angliae rege hospitio exceptus fuerat ; « cum adesset die festo natalis domino regi, qui daret aquam manibus ejus, ecce per medium pressurae Willelmus, eo quod esset summus camerarius, multis equitibus, ut mos ejus erat comitatus, et palla projecta, sicut mos est ministrorum, pelves argenteas arripuit, traxitque fortiter ad se. Tenebat ille vir regemque respiciebat, qui jussit eas dimitti, suscepitque patienter aquam de rapina. « Cum Guilielmus Regi, Regis filiis et Duci pelvim obtulisset, praesenti semper animo, superbia minime deposita, pelves proprio clienti dedit et sedere perrexit. »

Hoc audax factum illos varios motus in auditoribus excitavit quos oratores politici libenter referunt ; alii alta voce vituperabant, demissa probabant alii. « In crastino consedere duces », senecallus vero Normanniae os aperiens jurgii causas inter aulicos et Tancarvillam exponit. Surgit igitur et oratione quadam adeo lepide eleborata litterisque exornata ut de authenticitate dubitares (Ovidium imo citat) objicientes confutat et calumniatores contundit. « Vim quidem intuli, non violentiam. Quid armis fit sine vi ? Verumtamen justa vi jureque traxi pelves, summus Domini Regis camerarius quas ille subditus meus extorquere coactus est. Desistant eos persequi in occulto quos in manifesto sequi vel audire formidant » ; Fortasse opineris, hac finita con-

cione, quam signabant Feodalitatis odium parumque dissimulatae minae, Henricum, iratum, baronem istum fregisse. Rex aliter se habuit. Henricus, proposito sibi Ludovici VII exemplo, Tancarvillam absolvit, fictaque generositate simulat quod contra Feodalitatis vires non sponte cedere cogitur.

Talibus historiae documentis sat intelligitur quot et quantis curis et discriminibus implexi fuerint reges nostri qui primi has Feodalitatis turmas aggredi ausi sunt et vincere, et exinde magis mirabere nonnullos primates qui, perinde ac Ranulphus de Glanvilla necnon et Gilbertus Foliot, audaci manu et devotissimo animo reges ipsos fulcire et tueri non dubitarunt.

Prior quidem genuinus est typus horum fidelium equitum ex quibus delegit Henricus primos officiales quos Anglia novit. Inclitus hic eques Ranulphus pro Marte suo victoriam [1] obtinuit Alnwickensem in qua captivum duxit Scottiae regem; ardens Christicola vitam iniit prioratum [2], abbatiam, hospitiumque struendo, terminavitque Sanctum Joannem Acrensem obsidendo; Ranulphus industriosa est apis judiciorum renovandorum quibus ardentes studuerat Henricus ut certissime auctoritatem firmaret. Semel atque iterum [3] a rege nominatus inter judices *itinerantes*, sat consuetudinum peritus ut haberi videretur auctor antiquissimi de Jure Anglico [4] monumenti, Ranulphus iste a domino cancellarius creatus est. Quas muneris partes adeo fideliter explevit ut Oculus Regis [5] a vetere scriptore sit nuncupatus, tam vero aequa mente ut Walterius Mappius nobis hujus memoriam traderet. Querebatur enim de corruptione

1. 13ª Julii 1174. — Girardus Cambrensis, V, 300.
2. Butley Monast. — Seiston abb. — Semerton hosp., 1163.
3. 1176 et 1179.
4. Hujus operis Ranulpho attribuitur honos à Rogerio de Hoveden.
5. Rich. de Devises, *Epist. Cantuar.* Roll. series, p. 305.

judicum quos in potestate habebat, cui remedium et satisfactionem indagare conabatur [1].

Quadam die congratulatus est ipsi Walterius Mappius quod valde obscuram contentionem breviter dirimere potuisset inter divitem dominum atque pauperculum, cui jus fecit : « Cum justitia pauperis multis posset diverticulis prorogari », ait Walterius, nobis ostendens jamdiu quam pulchra sit forensis concertatio, « felici coelique judicio consecutus es eam. — Certe nos hic longe velocius causas decidimus quam in ecclesiis episcopi vestri », respondit Ranulphus. Walterius autem non is erat qui verbum acutum praetermitteret, et addidit : « Verum est, sed si Rex noster tam remotus esset a vobis quam ab episcopis est Papa, vos aeque lentos crederem. » Cui subridens Ranulphus probavit responsum [2]. Strictiores nexus Walterium Mappium et Gilbertum Foliot unibant. Namque si inter Walterium et Ranulphum aderant tantummodo vincula quae ex paribus oriuntur laboribus, firma amicitia veraque mentium conformitas auctorem libri *De Nugis* et Londiniensem episcopum in unum trahebant animum.

Alter alterum magni faciebat. « Cum eo societate conjunctus fuit », accepimus in vitae narratione [3] ab ipso Gilberto, « et laudavit eum trium peritissimum linguarum, in vetere et nova lege versatum, morum et sapientiae thesaurum, stylo limpidissimo lucidum ». Non se superari sinit Walterius urbanitate et laudatione : « Vir trium peritissimus linguarum, Latinae, Gallicae, Anglicae. » Gilbertus Foliot, inquit, erat insuper « lucidissime disertus in singulis [4] ». In omnibus enim concatenati viri, sola aetate

1. *De Nugis*, p. 8.
2. *De Nugis*, p. 241.
3. D. e., 12, IV, c. 5.
4. *De Nugis*, p. 20.

dispares. A juventute pariter victi fuerant illa incredibili et venusta Abelardi eloquentia. Walterius Mappius nobilis illius philosophi figuram alte impresserat in animo, cum Parisiis degebat, aut Carnotum Trojamve iterfaciebat.

Gilbertus Foliot, in coenobio Cluniacensi et ab abbate Petro venerabili educatus (tam familiaris discipulus factus ut ipse maturius factus fuerit prior Abbevillensis et Glocestriensis monasteriorum), in Angliam reverti non poterat quin vehementer Abelardun miraretur. Venerabilis enim Petrus, insignis libertatis fautor atque Ecclesiae reformator, hospitium Abelardo condonarat post Senonense concilium provideratque puerulo [1] quem ab Heloissa susceperat, necnon et morienti Magistro — ut ipsemet vocat — absolutionem miserat quam instanter rogaverat amatrix desolata [2], multoties denique Cistercienses adversarios imo et Bernardum abbatem [3] dimicare non dubitaverat.

Gilbertus colloquia cum Petro Venerabili vivide impressa in memoria retinebat, strenuaque certamina adeo ut libenter probaret jocosa verba sane minus verecunda quae contra Bernardum Walterius Mappius non semel emisit. Quadam certe die, audivit jocosum auctorem de Nugis Cisterciensibus respondentem, postquam confessi sunt, coram Cluniacis monachis, Bernardum non potuisse adolescentem suscitare. « Non surrexit, jacebat enim mortuus. » « Monachorum infelicissimus hic fuit; nunquam enim audivi quod aliquis monachus super *puerum* incubuisset qui statim post ipsum surrexisset *puer* [4]. »

Gilbertus et Walterius, aetatis maturae compotes, iisdem in castris bellabant, eidem adheraebant regi, laborum

1. Sat curioso nomine Astrolabo insignito.
2. *Hist. litt.*, XIII, p. 245, et Epist. IV, 21, VI, 22.
3. Ep. I, 28. In Litteris ad Div. Bernardum, 19 crimina refutat contra Cluniacos monachos allata a Cistersiencibus.
4. *De Nugis*, p. 42.

facti consortes. Jam vero si Walterius Thomam Becket sequi abnuit contra Regem, Gilbertus longius procedit, et gressu persequitur; enititur ne archiepiscopus sit electus [1], ut sedis Londinensis [2] suae primatus obsistat, Regem dirigens dum Becket sponte exilium petens in Gallia morabitur. Talis agendi ratio fundabatur non tantum per suam de Clero opinionem, sed etiam per devotum erga Regem affectum. Eamdem ipsi contulit Henricus secundus grati animi probationem quam Gilberto Mappius, eo ipso quod ipsum nominavit legatum difficili negotio ad Francorum regem [3]. Senes facti Gilbertus et Walterius ad eadem oblectamenta recurrunt, eademque sperant. Alter in libro *De Nugis* notat quae audivit, quosque viros novit. Alter vero « in hoc senio quo luminis fere defectum incurrit, quasi poenitentiam perditae vocationis agens, nec a littore carinam solvit, magnumque metiri pelagus aggressus, moras redimere festinat amissas, novumque veteris et novae legis opus festino contexit pollice » [4]. Uterque, alter in coenobio, alter in episcopatu, dispari tempore [5], obdormierunt in fide tam secura perfectaque ut ad superstitionem declinare aliquoties viderentur [6]. Horum amicorum Gilberti Foliot et Walterii Mappii indoles invicem complementum et recognitionem sibi præstant. Egregiae illae necessitudines prope quas Thomae Becket figuram nominare decet, tutamen Henrici II de quo longius orto verba fecimus, explicant

1. *Materials for the Life of Becket*, Roll. series, p. 15, 30, 44
2. *Ibid.*, p. 590.
3. Nempe, ut exsulantem Becket non susciperet.
4. *De Nugis*, p. 20.
5. Mortuus est Gilbertus anno 1188.
6. Infra videbimus qualis fuerit Walterii credulitas atque delectatio in historiunculis mysterio obvolutis. Quaedam in opere *De Nugis* narratio circa Gilbertum satis ostendit Londinensem episcopum non in alia sententia fuisse qua canonicus a Sancto-Paulo; suasit enim cuidam equiti diabolicis turbato visionibus, si pacem recuperare vellet, ut exhumaret cadaver viri recens sepulti, caput abscinderet, et truncatum aqua lustrali aspergeret.

certumque exhibent ordinem primarium quem tenuit Walterius in principatu regis Andegavensis regio.

Modesta quidem fuere initia, non tamen hac demissa et desolata locutione digna : « Hoc solo glorior, quia ab invidia tutus sum, nihil in me reperiet quod mordere dignetur. Non enim canis os rodit siccum, nec venae vacuae adhaeret hirudo [1]. »

Vox illa per transennam emissa, quam protulit desperationis motus, quandoquidem aliquot infra paginis, antequam opus *De Nugis* clauderet, cum retrospicere anteactam aulici viri vitam cuperet, scribere ausus est : « Hic (de se loquitur) regi carus fuit et acceptus, non suis sed parentum meritis, qui sibi necessarii et fideles fuerant ante regnum et post » [2].

Haec enim ultima verba gratitudinem profitebantur ex justitia. Henricus II non diu sivit Walterium inter clericos Curiae Regis obdormire qui acta juridica expedire cogebantur.

Praeterea erraret longe, si quis hos sigillatores nostris vulgatis « Ronds-de-cuir » aequipararet. Hac enim aetate, singulari quadam dignitate fulgebant scriptores, si facto sequenti fidem adhibemus [3]. « Mos erat ut Brevia sigillata ministris Curiae, quae nomina sua vel negotia continerent, gratuito partibus obtinerentur. Furstinus quidam unum e sigillatoribus denuntiavit qui tradere noluerat sine mercede breve nomen suum et negotium continens. Curia convocata, Regi ipsi committitur negotium. Postquam accusator causam dixit, sigillator Adam a Gernemue his verbis se defendit : « Susceperam hospites, et misi qui precaretur

1. *De Nugis*, p. 133.
2. Obiter notemus haec verba confirmationem esse exorti utque intimi inter Regem et Mappium commercii.
3. *De Nugis*, p. 231.

dominum Furstinum quod mihi duo liba de vestris dominicis daret. Qui respondit : *Nolo*. Cum autem postea vellet breve suum, memor illius *Nolo*, similiter dixi : Nolo. » Rex vero, addit Walterius, condemnavit eum qui dixerat primum *Nolo*. « Sedere fecit Adam ad scamnum coram posito sigillo brevique Furstini; coegit autem Furstinum, abjecto pallio, genibus flexis, Adae praesentare duo gastella regia, mantili candido decenter involuta, susceptoque xenio jussit ut Adam ipsi breve redderet [1]. »

Cancellarii igitur regalis Curiae egregii viri apparebant, quos revereri jusserat Henricus II, et qui electi erant inter praecipue amatos.

Jam vero non diutius Walterium rex sivit in illo statu, honorifico quidem nimium vero otioso manere. Brevi socium sui fecit administrationem reformandam suscipientis, vitaeque instabilis atque politicae agendi rationis participem. Haec omnia per ordinem narranda nobis occurrunt.

Anno D^i^ 1170 [2], vix elapsis decem annis post in domum regiam introitum, Walterius tam bene amicitiam Henrici captare noverat, tum peculiari auctoritate, tum conversatione inter regem bellicosum et ferventem archiepiscopum, ut legati munus ipsi imponeretur. Quamvis brevissime de hac re locutus sit Walterius, satis notavit ut nobis muneris commissi difficultas eluceat. Sive ante sive post Fretevallense colloquium, Walterio incubuit praeparare aut perfi-

1. *De Nugis*, p. 231. Infra loquemur de discordia inter Walterium et Godfridum regis filium, quae orta est cum Godfridus ad custodiam sigillorum promotus fuit.

2. Fatemur libenter scripta Walterii Mappii quae a lectoribus perlegi cupimus, non exacte tempus indicere hujus ad Ludovicum VII legationis. Plura tamen argumenta hunc annum 1170 innuunt : 1° hoc admittit Morley, III, 125; 2° nonnullum verbum capitis cujusdam *De Nugis* indicat suam legationem esse secutam colloquium duorum regum habitum (p. 214). « Regibus praedictis colloquentibus in Campo Maximo, circumstante multa militum corona ». Quod sane stationem in Fretevallensi campo referre videtur Julio 1170 mense.

cere tentamen faciendum vel factum ab Henrico, ut Ludovicum VII ad pacem inclinaret [1]. Grave sane tempus et prope nutans solium; Thomas Becket excommunicationes ingeminabat, Papa ipse jam suo praelato promiserat legatos qui Angliam poena interdicti afficerent. Quinimo nobiles non pauci significabant praecurrentes rumores rebellionis quae paucos post menses reipsa exorta est. Ludovicus autem Septimus tanquam praetextum capiens injuriam ipsi ab Andegavensi rege illatam, scilicet quia Margaritam filiam simul cum Delphino Henrico coronare noluisset, Normanniae imminebat. His in temporibus Henricus, intercedentibus sui legati astutia necnon et propriis politici viri dotibus, obtinuit ut, si ipse pollicitus esset se sponsum regalem et sponsam Margaritam simul coronaturum esse, Ludovicus VII ab incoeptis bellicosis desisteret. Quid fecerit Walterius in hoc negotio, fatemur nescire. Hoc modo certum apparet, ipsum sat familiariter Regem allocutum esse, ut Ludovici VII personam nobis longe et lepide depingere potuerit.

Non licet duas historiunculas referre, quibus aequa linea firmus judex et christianissimus Rex apparet [2]. Cum esset, inquit, homo tantae benignitatis et tam simplicis mansuetudinis, et affabilem se cuique praeberet pauperi, tam suis quam alienis, ut possit idiota videri, districtissimus erat judex, et justitiae saepe flens executor, superbo rigidus et miti non impar [3]. Walterius Mappius nostri regis fervens laudator facta historica multiplicat. Jusserat quadam die Ludovicus aedificari palatium ne dicam oppidum in urbe

1. *De Nugis*, p. 214, 216.
2. P. 212, 213 : quomodo rex poenam remittere noluit baroni praedatori, invitis sponsae dignissimae precibus ; p. 214, 215 : quomodo cuidam camerario ignovit, cujus farta nota omnibus, regem benignum jam malignis a Parisiensibus satyrice cantatum affecerant.
3. *De Nugis*, p. 212.

Fontis Bellaquei. Opifices autem inadvertentes muros ducere coeperunt in agro qui non regis sed pusilli domini erat cujus statim querimonia personuit. Ludovicus, negotium sibi attribuens, « jussit domos dejici, murosque solvi, tanti faciens querelam modicam ut magis a pluribus fatuitatis argueretur quam ex misericordia meritas laudes acciperet[1] ». Haec profecto digna Rege agendi ratio qui securus dormiebat media in sylva, duobus tantum comitantibus equitibus, quique expergefactus a comite Thibaldo de Campania, dubio valde amico : « Dormio secure solus, quia nemo mihi malum vult[2]. » Probabat autem Ludovicus huic nobilitati serenaeque justitiae suae conjungi dotes ingenii subtilis et acuti, cum diceret Walterio Mappio, regibus cunctis confratribus enumeratis quibus singulare aliquid deerat[3] : « Dominus autem tuus, rex Angliae, cui nihil deest, homines, equos, aurum et sericum, gemmas et fructus et feras et omnia possidet. Nos, in Francia, nihil habemus nisi panem et vinum et gaudium. »

Walterius hoc lepido verbo commotus quod clare nascentis gentis indolem signabat, quae jam ipsi apparebat quasi urbanitatis typus et litterarum cultus exemplar, ait : « Hoc verbum notavi : comiter et vere dictum ». Etiamsi hoc Walterii politicum munus nihil aliud contulisset praeter reperta documenta quibus tam venuste regalem personam depingeret fere ignotam ac derelictam, certe nos felices habemur.

Insuper vero existimamus hanc legationem non parum profuisse successibus qui *Colloquium Fretevallense* fuerunt secuti.

Quidquid id est, veniamus ad tempus majoris momenti in

1. *De Nugis*, p. 218.
2. *Ibid.*, p. 216.
3. *Ibid.*, p. 215.

vita politica Walterii de quo exactius loqui licet. Anno D^i^ 1173, Walterius a Rege nominatus est inter hos *judices itinerantes* quorum gratia suam auctoritatem judiciariam extendere imo et propriis judicibus invigilare rex cupiebat. « Pluries, ait Giraldus Cambrensis, justiciariis errantibus ad jura regni tuenda, justitiamque regiam exercendam associatus erat [1]. »

Unam tantummode notationem exhibere nobis licuit inter omnes novi inspectoris excursiones. Anno 1173, missus est cum aliis duobus judicibus nempe Joanne Cumino et Turstino Fitz-Simon, ut sessionem convocaret, in agro Gloccestriensi [2] in quo praedia multa possidebat. Ignoramus autem, quomodo impleverit Walterius munus istud nihil sane ardui habiturum, cum errantibus judicibus invigilandum tantum modo esset ut praescriptae in actione judiciaria conditiones et in sententiis a vicinis juratis modus, sive innocentes sive noxii declararentur viri, accurate servarentur [3].

Walterius enim pro sua judiciaria parte non loquitur nisi iram proferat contra praevaricantes; Giraldus Cambrensis aliunde munus Walterii proprium non revocat nisi ipsius accuset variis in negotiis iniquitatem, scilicet, quando contra Judaeos aut Albatos monachos ageretur, justitiae denegationem : « Cum a Rege ad risum provocato talis exceptionis causa quaereretur, respondere solebat valde injustum et indignum fore, justitiam illis et aequitatem exhibere quos justum et aequum nemini servare permittit, quin potius injuriose semper et inique res alienas occupare, sibique modis omnibus quod suum non erat rapere, totisque nisibus et studiis appropriare cupiditas prava compellit [4] ». Hic

1. Giraldus Cambrensis opera, IV, 219.
2. *Foss Judges*, I, p. 276. *Madox Excheq.*, I, p. 701.
3. Stephen, *General view of the Criminal Law of England.*
4. Giraldus Cambrensis, IV, 219.

igitur moralitatis professor Judaeis simul et clero hostilis videbatur.

Utraque tamen manente hostilitate, non propterea regi displicebat Walterius : cujus rei fidem facit hoc quod Henricus II Walterium a se mittere nolebat. Munus istud *errantis judicis* per intervallum exercebatur siquidem hoc eodem anno 1173 Dominum in Normanniam comitabatur, et exinde ad Lemovicensem urbem cum ipso pergebat. Mirum profecto spectaculum eum, saeculo XII currente, pelagus peteretur audacter, et valde intellectu facile nobis, cum inter tumentes fluctus, carinis nullo ponte fretis, religiosi timores navigantes opprimerent.

Singularem Walterius devotionem habebat erga quemdam monachum Glocestriensem [1], qui Gregorius appellabatur, cujus tutamen invocabat quando navem fere undae superabant. Haec fiducia erat nata eo ipso die quo procella territus viderat hunc patronum monachum « per singulos nautas incedentem animantemque eos et docentem ». Haec non fuit incassa tutela, cum Henricus II, compressa subjectorum rebellione (de qua Walterius vix et obscure loquitur), in Franciam vela dedit [2].

Fere viginti navibus constabat minima classis « quae regi tenebantur ad transitum sine pretio ». Cunctas disjecit procella fregitque scopulis Normanniae aut Angliae, salva dumtaxat una quae Regem cum fortuna vehebat. Henricus II qui vehementer exoptabat hanc diem sub fausto auspice inceptam honeste ac pie finire, « singulis nautis secundum eorum aestimationem perdita restituit, cum non teneretur hoc facere ; fuitque summa magnae numerositatis, cum forsan aliquis rex justum non solvisset debitum. »

1. *De Nugis*, p. 68.
2. *Ibid.*, p. 60. Non libenter certamina agnoscimus in iis gratulationibus quae regi Walterius offert ob *extinctos viatores*.

Quae autem fuerint hujus itineris 1173 habiti alia evenat penitus ignoramus [1]; tacet enim Walterius. Postquam autem in amicitiam Ludovici VII rediit, interveniente Petro, archiepiscopo Tarentesiaco, ad id officii implendum a papa Alexandro tertio [2] misso, Henricus secundus Arverniam petiit, ubi celebrandum erat filii sui Joannis cum filia comitis Mauriennensis matrimonium. Sanctus Petrus benedictionem juvenibus impertivit, et etiam undecim fere dies cum Henrico Lemovici commoratus est [3], commissa a rege Mappio cura celebris archiepiscopi necessitatibus providendi. Itaque Mappius, cum Petro quotidie conversatus, unius e maximis hujus aetatis viris, ex his qui duodecimum saeculum quid de religione sentiret certissime nos edocent, imaginem ad verum adductam potuit effingere.

Quadam die, sub vesperum, cum Mappius staret in limine domus, ubi sanctus Petrus, Lemovici degens, hospitio exceptus fuerat, turbam hominum accedere vidit. Multi civitatis incolae, duce Joanne Albano, Anglo natione et eloquentia famoso, tunc episcopo Pictaviensi, postea Lugdunensi archiepiscopo, vexatum quemdam a daemone trahebat. Tum Joannes Walterio : « Carissime mi, inquit, evoca nobis archiepiscopum, ut quod omnes praedicant, sine dubio testificari possimus. » Deinde subridens : « Nunquam verum aliquod vidi miraculum ». Statim Walterius Petrum Venerabilem advocavit, qui egressus, « posito genu, manum imposuit infirmo spumanti et omnino vesano ». Propius accedunt Walterius et Joannes episcopus, aures diligenter admovent, audiuntque Petrum Evangelii locum recitantem, brevi oratione addita. Jussit deinde manus dimitti misero liberas, qui « statim manu dextera os suum tersit, dicens :

1. *De Nugis*, p. 231.
2. *Gallia Christiana*, vol. XII, col. 706. — Hoveden, Annal., p. 532.
3. *De Nugis*, p. 69, lin. 16, 17.

Mater Dei, miserere ». Episcopus autem Joannes cum lacrimis exclamavit : « Vere sanus est aeger : hic solus episcopus est; nos autem canes non valentes latrare [1]. » Fatendum est personam illam, quam inducit Mappius, non esse unum e multis hominem.

Sanctus Petrus de Tarentasia primis duodecimi saeculi annis natus est, e familia ortus in qua nemo est qui aut « Sanctus » aut « Beatus » ab Ecclesia non declaratus fuerit. Juvenis adhuc ad episcopatum evectus, cum sancto Bernardo junxit amicitiam, Cisterciensium Ordini in sua dioecesi insidendi fecit potestatem, et omnium animos indulgentia, omnium admirationem patratis miraculis sibi conciliavit. Delatis sibi honoribus, tributis que laudibus pavefactus, potestatem a Deo concessam reformidans modestiaeque timens, urbem episcopalem repente reliquit, mendicumque mentitus, in monasterium quoddam Alemanniae aufugit. Sed oves profectum pastorem lugentes quaerunt, repertum e solitudine eripiunt, et cum reduce Tarentesiam triumphantium more ingrediuntur. Tum Petri fama in immensum crevit, in immensum etiam ejus auctoritas. Cum, schismate primum grassante, nuntiatum est Petrum Alexandri tertii partes sequi, assensus ille desperanti Papae virtutem reddidit integram. Cum, anno 1161, ut haereses in dies auctas praedicatione impugnaret, gentes Rheni accolas invisit; cum, paucis post annis, ut Alexandro tertio jubenti pareret, in Italiam se contulit, totae civitates obviam venienti processerunt, mulieribus pretiosas vestes ante pedes sancti viri in via sternentibus, cum ipse uno gestu caecis visum, mutis vocem redderet [2]. Tantae virtutis admiratio, memor collatorum in Angliae regem officiorum

1. *De Nugis*, p. 70, lin. 20, 25.

2. Haec omnia desumpta sunt e libris quibus titulus : Brutay, *Saint Pierre de la Tarentaise*, Besançon, 1875; Chevray, Beaune, 1841; *id.*

animus, praeparato Ambaciae colloquio, Walterium impulerunt ut sibi imperaret, nec meritas laudes etiam amico sancti Bernardi, etiam Cisterciensium tutori denegaret. Quo tempore, Henrici jussu, sancto Petro Lemovici comitem se praebuit et ejus necessitatibus consuluit, morbo quo paucis post mensibus tantus vir absumptus est, jam opprimebatur[1]. Attamen eumdem Mappius ostendit « facetum et hilarem in omni casu, faciei mundum, modestum et humilem ». Illa apud ascetam hilaritas, illa in tam insigni viro modestia certe Mappii mentem moverunt[2].

Quemadmodum missus ad Ludovicum septimum legatus regem illum Mappius in opere depinxerit; quemadmodum, cum Petro de Tarentesia Lemovici commoratus, illius imaginem expresserit; item, anno 1179, Romam profectus ut legatione fungeretur, occasionem invenit de Theobaldo quarto, comite Campaniae, nobis nonnihil tradendi. Quam breviter de proposito quod Romam eundo studebat assequi, loquitur, tam fuse tradit colloquia quae cum Theobaldi quarti filiis habuit, Henrico primo, Campaniae comite, hospite suo, et Guilielmo albis manibus, unde hausit quidquid de patre retulit. Alter, vir equis habilis, in largitione effusior, ut ipse Theobaldus, dicere solebat : « Ubi deficit quod dari possit, ibi terminus est largitatis; non est largitatis turpiter quaerere quod dari possit »; Mappius autem, audito facete dicto[3], risu emoriebatur. Alter, Carnutensis episcopus ante aetatem factus, annuente Alexandro tertio ut legibus solveretur[4], arcta religionis observantia se obstringebat, ut pater. Non semel Walterio narravit nobilem quemdam virum,

1. Mortuus est anno 1174, in monasterio de Pulchra Valle, prope Vesuntionem.

2. Lectori parco, omittens tria miracula a Mappio narrata.

3. *De Nugis*, p. 216, lin. 13, 14.

4. *Gall. Christ.*, t. VIII, p. 1143. — Papa concessit ut per quinque annos non consecraretur.

e Viennensi pago, ne latentium haereticorum contagione inficeretur, « sal exorcizatum in perula semper habuisse, nescium cujus domum esset ingressurus, et ubique timentem pellaciam hostis, etiam in mensa propriis illud apposuisse cibis ». Theobaldus, cum eques esset, omnibus fortium virorum virtutibus, ut refert Mappius, instructus erat, unde illi generosus et beneficiorum memor animus. Ludovicus sextus, quem « Grossum » dicebant, feudalis regiminis tempore, in quodam horum perdiuturnorum bellorum quae Galliam depopulabantur, favente sibi fortuna semel et iterum noluit uti. Cum enim primum Theobaldus fere solus prope regia castra inconsulte ambularet, a Ludovico statim admonitus est, qui oblatam sibi unius horae fortunam aspernatus est. Posthaec, obsidente rege Blesensem civitatem, jam deditione imminente, certior factus est Ludovicus Theobaldum sanguinis fluxu laborantem, non posse amplius urbis saluti consulere. Quamvis aliud suaderetur, Rex prope victor « reducit equites, incensores revocat, et, solutis machinis, reverti properat ». Theobaldus autem, bis repetito magnitudinis animi vere regiae exemplo commotus, magnanimitate vinci noluit, et hanc Ludovico sexto scripsit epistolam : « Domino Francorum Regi Lodovico, suae salutis conservatori, Theobaldus Campaniae comes in Domino salutem dicit. In Assumptione Beatae Mariae Virginis vobis adero per gratiam Christi, vestrae de cetero jussioni pariturus in omnibus, auctor hostilitatis pacis amatori satisfacturus, victori me victum dediturus, ut perpetua fiat in nobis pax cum honore vestro meoque dedecore. Valeat in Domino semper rex pacificus [1]. » Christianus cum esset ex animo, ut in hac epistola apertissime deprehenditur, Theobaldus caritate plena patientiae et ardenti fide insignis erat. Leprosis

1. *De Nugis*, p. 219, 220, 221, passim.

ante alios opem ferebat — sic Mappius — curabat ut illis domus aedificarentur, ut daretur unde viverent. Nec illud satis erat : « Pedes, ait historicus, eis lavat et tergit, magnaeque memor Magdalenae, quod ipsa complevit in corpore Dominico, devotus hic membris ejus exsequitur. Sed ibi vitalis odor et dulcedo cor attrahens caroque mundissima; lethalis hic foetor, et amaritudo corrumpens, et sanies ulcerosa. » Jam illi erat praemii loco praeteriti temporis memoria, sed olim contigit ut summo gaudio frueretur, quippe qui miraculo adfuerit.

Theobaldus IV curando suo leprosorum vico ministrum praeposuerat. Quadam die iter iniit ad visendum suorum aegrotorum unum sibi prae caeteris dilectum; a nemine visus pulsat ostium, « humiliter intulit : « Amicus vester Theobaldus petit, si fieri potest, ut apertum sit ei ostium ». Surgit aegrotus gaudens ostiumque aperit : « Quem afficere solebat ulcerum, suavissimo reficit odore pigmentorum ». Miratus comes Theobaldus aegrotum interrogat num sanatus sit. Qui quum ita esse respondisset, digressus est Theobaldus, et « praepositum » adiit ipsi gratulans de ipsius optima casarum cura, ipsiusque in aegrotum sibi maxime earum impensa sedulitate, pollicens insuper se largitionem ipsi daturum. « Domine, respondit praepositus, praecepto vestro, viventi fui satis assiduus, et mortuo feci dignas obsequias, et si placeat, ejus sepulcrum videamus. » Comes Theobaldus, admirationem dissimulans, sepulcrum invisit, tum ad casam rediit quam vacuam inveniens, « gavisus est », sic infert W. Mappius, « se vidisse Christum [1] ». Talis effigies valde discrepat cum aspero bellatore, cujus periculorum sitim seu bella in Ludovicum VI explere nequiverunt, cum isto foedifrago, amicorumque

1. *De Nugis*, p. 221, 222.

desertore, qualis delineatus conspicitur in chartis a D. Luchaire tanta perseverantia congestis atque mirum in modum digestis [1].

Tanti studii a W. Mappio impensi in exprimendis fictis coloribus ista pugnacis equitis effigies, causa non alia est quam quod is semel fortis factus et generosus, Optimum Magistrum adversa fortuna exagitatum tecto recepit. Tempore enim quo cum Adamo, Sancti-Dionysii abbate contendebat Abelardus, cui judicis secularis saevitiae imminebant, in urbem Provisem confugit ad Campaniae comitem. Qui, opera interposita, colloquium inter philosophum et Sancti-Dionysii abbatem paravit, sed frustra; Adamus enim Abelardum Sanctum-Dionysium redire jussit, ipsi ipsiusque hospiti minatus excommunicationem [2]. Itaque illa Theobaldi IV effigies tam amanter a W. Mappio depicta, novissimum est ejus in Abelardum studii venerationisque monumentum.

Apud Campaniae comitem diu commoratus, W. Mappius Romam petiit. In Ecclesiae annalibus sane eminet concilium Lateranense, gravis momenti aetas. Alexander III utrique certamini contra Fridericum et Henricum II suscepta finem victoria imposuerat : etenim vix biennium effluxerat ex quo Fridericus Venetiis coram Papa superbiam posuerat [3]; Henricus autem, sex ante annis, humi stratus, cilicio indutus et a praelatis verberatus Thomae Becket sepulcrum veneratus erat [4]. Illi vero triumphi tot et tantis certaminibus parati, rimas papalis potestatis molem undique labefactantes male velabant. Undique pericula orta erant : schismatis tanto labore compositi repercussus; in sanctam Sedem majores in dies querelae, et eaequidem justissimae, de Papae magis ac

1. Luchaire, *Louis VI*, 51, 72, 108, 114, 117, 121, etc.
2. Epist. Abelardi, H. F., XIV, 290; Rémusat, *Abélard*, I, 102, 103.
3. 1177.
4. 1173.

magis manifesta omnia usurpandi voluntate, et de famosa judicum romanorum corruptela; de luxuria episcoporum, qui fere ubique feudales magnates facti, pastoralibus suis inspectionibus monasteria et ecclesias exhauriebant[1]; de semper accrescente simonia quae eo pervenit, ut episcopus Leodiensis aperte in foro praebendas dioecesis suae venderet[2]. Illa morum vulnera concilium anno 1179 habitum, cui decem fere gentium legati interfuerunt aliquatenus sanare tentavit; canones sive decreta viginti septem in eo Papa promulgavit, ad finiendas conditiones quibus electio pontificalis rata ac firma habenda esset, ad comprimendam praelatorum luxuriam, et statuendam aetatem qua eligi possent; ad confirmandas iterum contra simoniam prohibitiones atque de clericorum coelibatu leges. Denique ut dignum finem haberet illud concilium, disciplinae ecclesiasticae opus simul et pacis universae, Alexander III praescriptiones de divinis induciis redintegravit. In eo autem illustrissimo coetu quae fuerunt W. Mappii partes ambigitur. Utrum unus fuit inter publicos anglici regis legatos, an contra inter illos occultos ministros qui jussu ejus romanam curiam implebant, unde haec vox ab anglico hujus temporis edicta : « Dominus noster Papam et omnes Cardinales habet in bursa sua. Adeoque gloriatur, ut palam dicat se nunc oevi sui consecutum privilegium, quia in terra sua erat rex, legatus apostolicus, patriarcha, imperator et omnia quae volebat[3]? »

Quonam vero animi affectu Walt. Mappius inter illas deliberationes commotus fuerit? Utrum partem habuit in concentu laudum quibus intentus universus christianus orbis Concilii decreta excepit, quod post saeculum elapsum

1. Ad inspectionis episcopalis sumptus suppeditandos quandoque etiam vasa sacra aere mutata fuere.
2. Cit. apud Rocquain o. cit., t. I, p. 304.
3. Joann. Sarisb. epist. 239, ad episc. Pictav.

fideliter testatur Matthoeus Paris [1], vocans illa statuta « omni laude dignissima ».' An contra ipsius admiratio curiae pontificalis flagitiorum luctuoso spectaculo fuit imminuta? Cui interrogationi valde difficile est responsum reperire in brevioribus paginis quae tempori per quod Romae commoratus est congruere videntur. In quodam loco libri « De Nugis » istos notat Romanos « qui laudant auctoritatem, cui largi fuerunt, ut privilegium referrent avaritiae ». Tum prosequitur : « Junior fui, etenim senui; et non vidi pauperem referre privilegium, nec semen ejus contra jus commune singulariter impetrare, quia in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus, et quia,

Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

Dominum aiunt omnium Ecclesiarum papam, et ipsi licere ut evellat et destruat, et aedificet et plantet; justos autem se ab ipso rapinae possessores asserunt [2]. »

At paucis lineis interjectis, clericus idem qui tam acerbe Romanam curiam corruptelae arguebat, lectori narrat insidias satis inurbanas a se legatis Valdensium paratas qui cum cardinalibus disputatum venerant [3].

Nonne quodam modo sibi ipsi discordat homo qui verbis asperis notat et curiam pontificalem et viros sincero Ecclesiam catholicam emendandi studio elatos. Specie vero tantum, auctor noster non sibi constat. Ut infra videbimus [4], W. Mappius unus est illorum Universitatum alumnorum qui sanandis Ecclesiae catholicae morbis aptissimum remedium esse existimabant non forte ex toto conversionem, sed multo magis temperatam reformationem, ab ipso clero, regibus et Universitatibus auxiliantibus, tentatam atque perfectam.

1. Chron. Maj., anno 1179.
2. *De Nugis*, p. 50.
3. *De Nugis*, p. 65.
4. Caput II.

Si dignosci possumus, quos animi affectus e sua Romae commoratione retulerit, haud facile contra est exacte definire legationem, qua apud concilium Lateranense sit functus. Attamen, ex amplissimis donis quibus fuit a Henrico II dotatus, jure concludi possumus non parvi momenti fuisse munus ipsi demandatum. Eum enim, qui antea non aliud beneficium possidebat nisi curiam Westburae, in pago Glocestriensi, rex creavit in locum Geofridi, filii sui, Sancti-Pauli canonicum, ac Lincolniensem « precentorem »[1]. Hi fuerunt ultimi honores quibus in rerum politicarum curriculo W. Mappius decoratus est. Inde ab anno 1180, nonnisi invidiae morsus oblivionisque amaritudines erat experturus.

III

In secunda parte libri illius *De Nugis*, frequentius alludit Walterius perditis fortunis et inimicitiis aut apertis aut secretis. Nunc tam magnis[2] laudibus extollit Henrici secundi curiam, ut sentiat lector nescio quid amari in tantis laudibus insitum ; nunc minus obscure animadvertit illum semper oblivione perire qui e curia recesserit : utque Cicero jam longum tempus e Roma exsul querebatur, sic et noster de miseriis suis deplorat : « Si per annum extra steterimus, nova redeuntibus occurrit facies, et novi sumus. Invenimus ab alienis domesticos supplantatos, et dominos a servis[3]. » Est etiam cum diligentiùs res attingat : affirmat enim se, quod Ecclesiae vitia notaverit, maledictis lacessitum esse[4] : « Video me jam illis factum in detractationem in fabulam ut

1. *De Nugis*, p. 236, 237; Morley, op. cit., III, 125; Cartul. Sancti-Petri Gloucest., II, 136; Cartul. Ralph. de Diceto, cit. à Tanner; Neve, II, 82, 406.
2. *De Nugis*, p. 210, 225.
3. *Ibid.*, p. 238.
4. *Ibid.*, p. 57.

Cluvieno me comparent poetae, creta et carbone uso, insipito et idiotae scriptori. Hic ego sum certe », ait non sine quadam indignatione ac superbia, « dum mihi de malitia carmen est carbone quidem et creta dignum, etiam idiota sum, non adinvenio, non adulor. »

Non tamen solus rex Walterii immemor atque ingratus est, non soli inimici monachi Cistercienses[1] illi quos acutis sagittis laceraverat : erat quidam quasi proprius auctoris nostri inimicus, filius Henrici secundi, quem rex ille furtim e femina quadam, a Walterio inurbane « publica » dicta, conceperat. Huic feminae « Hikenaï »[2] nomen erat. Henricus autem cum filii illius fortunas instituere cuperet, eum in ecclesia Lincolnensi episcopum fecit : hanc praesertim ecclesiam obtinere cupiebat W. Mappius : ergo facetiis insecutus est episcopum singularem illum qui, dum nummos haud ingrate acciperet, non tamen, etiam objurgante Papa, sacerdotis nomen accipere vellet. Nec, etiam cum Papae minis victus ecclesiam suam resignare Geoffrius consensit, Walterius ludibrio abstinuit. At cum Geoffrius ecclesiam suam « apud Mesleburgam » resignasset, nova inde joca Walterius hausit. Erat hujus urbis fons quidam omnibus notus : cujus si quis aquam potaverat, abundabat ejus sermo vitiis et erroribus : unde dictum commune erat « loqui Gallicum Mesleburgae ». Paucis ergo diebus post resignatam a Geoffrio ecclesiam, Walterius, cum interesset loquentibus inter se et Geoffrio et episcopo cuidam, intellexit eos de hac cessione loqui ; quare attentiorem animum loquentibus admovit ; cumque Geoffrius comitem interrogaret : « Quid loqueris ? — Gallicum Mesleburgae », ait Walterius. Paucis iterum interjectis diebus, Walterius, cum Geoffrio decumam impendere abnueret,

1. Horat., *Sat.*, II, 3,246.
2. V. quae addita sunt carmina, carminibus Walterio attributis.

quam ille pro agro in sua parochia posito jure exigebat, nec eum Henricus II flectere posset, inimico e regia curia decedenti se offert, atque ita eum alloquitur : « Domine, Paulus apostolus dicit : Estote imitatores sicut filuii carissimi ; Filius autem Dei, Deus noster, se frequenter secundum infirmiorem sui partem se filium hominis dicebat, tacita Patris Deitate ; utinam et tu consimili velles humilitate jurare secundum matris officium, aliquando celata patris regalitate. Sic decet imitari Deum, qui nihil egit arroganter. »

Haec atque talia nullus nisi male dictis et spe desperata afflictus dicere unquam potuit. Nec enim jam Walterio integrum aliquid remanebat. Nam anno 1183 Marteli, juxta Lemovium, vita defunctus filius Regis est, Henricus, qui arma contra patrem recens converterat. Hunc autem Walterius valde amabat : Qui, ut ait, « speciosus (erat) prae caeteris statura et facie, beatissimus eloquentia et affabilitate, hominum amore et gratia et fervore felicissimus » ; forsitan etiam speraverit eum sibi jam longam vitam experto munera illa commissurum esse, quae studiose tamen inservienti pater denegaverat. Ergo tristitia Walterium invadebat. Solus rex erat, jam multos annos natus, qui posset ardorem ejus in re politica adhibere. Sed paulatim dissolvebantur partes Angevini illius Regni quod, post res diu secundas adversae concutiebant. Anno 1186 moritur Geoffrius : hic etiam se receperat apud sui patris hostem, patienterque, ut accipiter imbecillam praedam, juxtam Philippum Augustum, Lutetiae, Henrici secundi occasum observabat. Anno 1187, proluvie ac fame laborabat Anglia [1], eodemque tempore oppugnata a Saladino Hierosolyma capiebatur : quod hominibus vere Christianis visum est multas miserias imminere. Insequenti anno rebellione nova a Philippo Augusto

1. *De Nugis*, p. 235, 237.

studiose machinata ad summum quatiebatur monumentum illud, tam patienti cura exstructum atque firmatum Angevinum regnum. Fidelem se Walterius Mappius Henrico regi praestitit, eumque comes insecutus est, dum[1] miser, sine ope, sine pecunia, infelix ille princeps armatis, ut causam suam defenderent, regalem ensem[2], quasi obsidem, dabat, ut pignore illo fidem suam obligaret. At Henricus impar tantae pugnae erat, aeger, afflictus, ab amicis plerisque relictus. Quare Colombieriis — nam ibi cum victore colloquium fecit — omnia, quae sibi sunt imposita, accepit : hoc unum imploravit, nomina sibi tradi eorum qui eum, ut inter Francos pugnarent, deseruerant. Infelix curiositas! nam cognovit filium suum Joannem, quem, spem senectutis ultimam, tenaci amore fovebat, etiam datam fidem violasse. Quod cum audivit : « Satis, ait, dictum a vobis est », statimque memoriam ac sensum perdidit, febri triduo aegrotavit, vitamque, non recuperato animo, exsolvit.

Walterius Mappius, cum ei nuntiatum est sic misere periisse regem quem cum diligenter coluerat, tum sincere miratus erat, magno dolore permotus est. Quapropter e curia decessit, abiitque in monasterium. « Audita morte Domini mei, ait, post biennium exequiarum exinanitus lacrymis, ad puteal exsurgo lucrum inestimabile, nunc primo videns quod a curia liber sum, unde relegatus quiete nova percipio quam misere fuerim ibi religatus[3]. » Et ut hanc amaritudinem quodam modo corrigat, graviter subridens : « Quiete dies recte quidem, si quies est certis indiciis agnoscere tenebrarum absolutionem ». Non tamen in his omne tempus consumebat ; sed, dum in libro suo *De Nugis* et severum sacerdotem se et gratum indulgentia quadam philosophum

1. *De Nugis*, p. 22, 23, 139.
2. *Biblioth. Scholae Chart.*, t. III, p. 131.
3. *De Nugis*, p. 141.

ostenderet, etiam monasterium regebat, in quo non sine stupore eamdem quam alias observaverat animorum mediocritatem agnoscebat, easdem inimicitias, ambitus eosdem circa Magistrum [1]. Reliquum omne tempus ceteris officiis dabat : presbyter enim Westburensis [2] erat, Sanctique Pauli canonicus, Lincolniensemque « precentoratum » obtinuerat. Quod si quid temporis super erat, dabat Walterius sive parentibus suis junioribus, quos ad eum auctoritas ac fama ejus adducebat [3], sive adolescentibus quibusdam qui multo propius ad eum accedebant. Nec enim videtur severus noster philosophus ab his minus mysticis, etiam humanioribus conjunctionibus abhorruisse, quas in usu apud anglicos clericos eo tempore fuisse satis notum est. Philippus ille Mappius, cujus charta [4] *quaedam* nomen retinet, aliique parentes quos sibi in gerendis beneficiis [5] coadjutores Walterius adscivit, quosque « nepotes » appellat forsitan etiam plusculum nepotes fuerint quam decuerit. At ascetam se nunquam contendit esse : saepe ejus joca ac sales liberiorem licentiam usurpant quam quae sacerdoti conveniat; quare nobis videtur, etsi mores magis delicatos laudaverit, non tamen aetatis suae mores respuisse.

Dum autem Walterius sic ex beneficiis beneficia percipiebat, nunc carminibus indulgebat, nunc libro suo *De Nugis* caput unum addebat, novarum rerum curiosus semper erat, attentoque animo observabat quidquid rex novus [6] in bello tentabat. Credo equidem saepe ei tempus illud in memoriam rediisse, quo regem Henricum consiliis suis adjuvaret. Cum ergo, anno 1196, archidiaconus Oxoniensis institutus

1. *De Nugis*, p. 10, 13.
2. *Ibid.*, p. 207.
3. *Ibid.*, p. 138.
4. *Walterii Mappii poematum praefat.*, p. 29.
5. *De Nugis*, p. 13.
6. 1190, 1192 : Bella sacra. 1199 : in Anglia civilia bella furunt; Anglorum rex contra Philippum Augustum bellum agit.

est [1], non est quin pristinas spes revocaverit. Neque tamen ignoro non eo tempore Oxonum celeberrimum fuisse : vix ejus Universitas sextum decimum annum nata erat, nec Roberti Pulli aut Vacarii doctrina jam Europae clientelam conquisiverat [2]. Erant tamen archidiaconorum munera maxima. Episcopi in Ecclesia primi erant, Archidiaconi autem statim secundi : saepe etiam primum locum usurpaverunt. Ecclesiasticis praediis ac tribunalibus praeerant ; duodecimo autem saeculo excommunicationem, invitis episcopis, pronuntiaverunt, clericosque, si beneficiis in parochia utebantur, instituerunt. Erant in perpetuum ipsi instituti : unde facilius erat contra episcopos restitere. Ergo cum proxima sibi mitra esset Walterius Mappius eam induere sine dubio iterum cordi habuit. Regnante Richardo, anno 1198, Herefordienses canonici praesidem sibi eum esse voluere : nec enim erat eis ignotus, cum praebendam in hac dioecesi habuisset, Walterius ipse legatis se adjunxit, apudque Andegavam Cenomanicamque urbem se contulit, ut episcopum Hugonem Lincolnensem [3] sibi conciliaret. Non tamen bene eis successit. Ceterum defuncto eodem tempore Richardo, Joannes, qui regnum excepit, sedem Gilo de Braos attribuit. Frustra paulo post, anno 1203, Giraldus [4] Sancti-Davidis sedem Walterio dari petivit, « quia virum bonum et honestum dicebatur, qui de Anglis esset oriundus et Walliae tamen magis intimus, morum gentis utriusque non ignarus ». Ergo Walterius non amplius res magnas attentavit, vitamque tranquille duxit ; haud semel tamen archidiacono munus suum grave atque ingratum : nam anno 1202, officio suo ut satisfaceret, amicissimi Giraldi Cambrensis [5] bona proscribere coactus est. Non

1. R. De Diceto Roll. series, col. 695.
2. Maxwell Lyte, cap. I.
3. Vita S. Hugonis, p. 281.
4. Girald. Cambrensis : *De jure ac statu.... Ecclesiae*, II.
5. Girald. Cambr., III, 20.

Martis quinto decimo die, anno 1208, vita defunctus erat : scimus enim debitam [1] pecuniam ab eo illo die exactam fuisse. Sed anno 1210 mortuus erat, cum Giraldus Cambrensis prooemium secundae Hibernicae [2] editioni praescripsit. Nepos ejus Philippus Mappius paucos menses post Walterium obiit. Obitus enim Walterii Kalendis Aprilis inscribitur inter alios multos Missali [3] cuidam decimo tertio saeculo inscriptos; Philippi autem obitus Junii Nonis inscribitur.

Ut initium, sic vitae hujus finis umbra tegi fortuna voluit. Videtur quidem Walterius Mappius voluisse quasi lenocinio quodam singulari, maturam tantum aetatem qua et in re publica et in Ecclesia et in litteris excelluerat posteris notam esse, si posteris cura unquam futura esset Abelardi discipulum e tumulo evocare.

1. Rol. Claus., I, 106.
2. De Walterio Map. loquitur : cujus, ait, animae propitietur Deus (vol. V, p. 410).
3. V. *History of Hereford*, Londres, 1717.

CAPUT II

De homine ac de viribus cogitationis

§ 1 De homine. — I. *De equite feudali.* — Quomodo Mappius eadem qua proceres arrogantia se gesserit erga nobiles, Saxones, Normannos et servos. — In quo aequales antecedat. — Quomodo centralem potestatem conceperit.

II. *De sacerdote.* — In quo sit sui temporis sacerdos : sine ulla exceptione credit ; prodigiorum studiosus est, Ecclesiae addictus. — In quo suam aetatem anteeat : in Romam, in monasticos ordines invehitur, in Templarios et Cistercienses praesertim. — De Sancto Bernardo. — De cognitione Scripturarum.

III. *De vivendi praeceptore.* — In quo praeceptiva studia litterarum Gallicarum eo tempore exprimat. — In quo latius progrediatur. — Vere vivendi praeceptor est Mappius, quod probatur illius ingenio, indignatione, salibus.

IV. *De Mappii urbanitate.* — Meritam famam in hoc Mappius obtinuit narrandi facultate, salibus nunc gallicis, nunc urbanis, nunc acerbis.

E qua stirpe ortus sit Mappius certissime decerni non potest.

§ 2 De viribus cogitationis apud Mappium. — Magna est cogitationis illius infirmitas ; multis vitiis laborat, cum nondum adoleverit. — 1. Puerorum more Mappius suam scientiam ostentat ; nondum illam combibit. — 2. Nescit sententias rationaliter amplificare. — 3. Nescit esse brevis : seniliter cogitat, non fortiter. — 4. Gaudet sententiis generalibus ; jejunum ejus ingenium ; feliciter tamen narrat.

Ipsam supra Walterii personam delineavimus, et quibus casibus dum viveret versatus sit indicavimus. In tam variis autem rebus implicata nescio quid incertum persona haec retinet. Quare nunc a rebus abstinendum est, ipsi personae

studendum. Nec tamen sperandum nobis est posse in hac quasi figuram quamdam ac speciem agnoscere hujus hominum generis quod, fuso Normannorum Saxonum que et Celtorum sanguine, jam nascebatur : nullum in hoc ullius generis vestigium proprium invenias, cum Cambrensi origine ortus, tanti Gallorum mores et Universitates fecerit, latina lingua imbutus fuerit, curiam hanc denique frequentaverit, in quam undique convenerant qui eam ornabant. Sed illud saltem notandum est, hunc trahere in se quidquid reperire possis, si animum admoveris, in his moribus Occidentis novis, quos vix e ruinis prioris aetatis exorientes nec secum adhuc, ignorantia quadam sui, concordes, definiret aliquis, ni fuerint viri quidam, ut Walterius ille Mappius, quorum et figura et operibus in clariorem lucem procederet aetas illa, qua primum renatam esse scimus et renovatam hominum mentem in Europa septentrionali.

Figuram ergo hanc fingere iterum studeamus : nec enim res nullius momenti est. Cambrensis enim ille, nobili sanguine ortus, Abelardi disciplina formatus et Parisiensis Universitatis inter principes, apud Anglicos clericos eminuit, cum se applicuerit ad majorem libertatem in moribus ac mentibus instituendam. Qui dignus est quem memoria hominum non obliviscatur : nullus enim sapientiae magister aut majorem sinceritatem aut minorem asperitatem unquam ostendit.

I

Nobilis nobilitate Walterius Mappius maxime gloriatur. Quód, si non gentis suae antiquitas et amicorum nobilitas justum faceret, e locis quidam ex libro *De Nugis* excerptis clare appareret. Nunc enim Walterius amicum se praebet his feodalibus baronibus, quorum nos arrogantia

laedit, licentia irritat[1]; nunc militiam se admirari profitetur, quod nulla generosis ac fortibus viris[2] merces carior esse possit quam miles fieri; aut Normannorum politos mores laudat, Saxonum impolitos vituperat. Quin etiam in hos acrius invehitur : gloriosissimos eorum viros, ut Godwinum, insectatur, — quod saepe gallici scriptores[3] fecerunt —; Saxones contemnit, quod mortem impavidi adeant, cum non alio tamen sensu Normanni in torneamentis, ludicris certaminibus, ipsi adire videantur[4]. Sed praesertim Walterio insita nobilitas apparet cum de rusticis et de urbanis loquitur quos, nec suo tempore temere « servos » vocat et « corvéables à merci » declarat. Miserum hoc hominum genus, qui vix e somno silentioque exsurgunt, non commiseratur Walterius. Candide ait : « Cum naturaliter odit anima mea servos, hoc mihi placet in eis, quod circa finem et opportunitates edocent, quantum amandi sint. Proverbium anglicum de servis est, « Have hund to godsib, and stent in thir oder hond », quod est « Canem suscipe compatrem et altera manu baculum[5] ». Nullo autem modo in Walterio temperari odium illud poterat; nec nos saltem mirabimur, cum simile odium multi apud nos conceperint adversus urbanos. Quin etiam, ne patientia quidem et labore libertatem consequentibus, servilem originem Walterius servis ignoscebat : « Servi, ait, suos ignominiosos et degeneres in artibus liberalibus, eis indebitis enutrire contendunt non ut exeant a vitiis, sed ut abundent divitiis », — jam aurem nostram sollicitat, aut ego fallor, notum illud « Enrichissez-vous » — « qui quanto fiunt peritiores,

1. *De Nugis*, p. 232, 233. De Tancarvilla nullo verbo increpat, quem tamen tanta arrogantia superbum se praestitisse diximus.
2. *De Nugis*, p. 186.
3. *Ibid.*, p. 201.
4. *Ibid.*, p. 97 et 103.
5. *De Nugis*, p. 203.

tanto perniciores. Artes enim gladii sunt potentium. » — Et jam : « Redimunt suos a dominis servi, cupiditas utrinque militat et vincit, cum libertas libertatis addicitur hosti. Quod singularis ille versificator ait praeclare manifestans, ubi dicit :

> Asperius nihil est humili, cum surgit in altum,
>
> Nec bellua detrior ulla
> Quam servi rabies in libera terga furentis [1]. »

Ergo Claudiani et Lucani versus e sensu detorquet auctor noster, ut arma fiant contra servos. Lacessit enim rusticos presbyter ille, Cambrensis origine, moribus et disciplina Normannus, eosque semper contemnit ac prosequitur, sive civitatibus suis miseram libertatem conquirere conantur, sive liberis suis doctrinam quamdam mediocrem inculcare studeant. Non nos injuriam hanc dissimulare tentabimus, etsi Walterius barones vituperat quod communibus « leges eis debitas et libertates » denegent, et deplorat alias inimicitiis certare servos atque nobiles inter se : « Quidam reges, ait, abactis liberis committunt secreta servis, quia servire volunt vitiis, et virtutum fugiunt libertatem [2] ». Haec omnia negligere non aequum est, at contra fateri Walterium Mappium, quem in ceteris rebus delicatioribus moribus usum esse agnovimus, feodalis baronis superbiam atque arrogantiam non respuisse.

At cavendum nobis est ne obscurius loquamur. Nam etsi credit Walterius se, quasi ex decreto Dei, nobilem traxisse originem, arbitratur oportere inter servos ac nobiles intervallum certum ac diligenter servatum, existimat libertatem « Communium » nummorum subsidium quoddam aut regnantium artificium tantum esse, semper denique se gerit utpote

1. *De Nugis*, p. 9.
2. *Ibid.*, p. 206.

qui et originis suae vi et traditis moribus baro feodalis exstet, non tamen tam aequalibus suis similis est ut non intelligat naturae suae impetum ratione quadam coercendum esse atque retinendum. Quare aperte declarat necesse esse potestatem quamdam existere, ad quam referantur omnia.

Dicat aliquis religionis vestigium id esse et pastoris indicium servantis homines quos quasi in tutela[1] habet : non in contrarium disputo : apparet tamen, ut mihi quidem videtur, curae Walterio fuisse ut essent juxta regem humaniores quidam et urbaniores homines, quibuscum ille rex gubernare et judicia ferre possit[2]. Nec enim irascitur tantum his magistratibus[3] et aulicis qui dominum suum semper illudere et expilare[4] studeant, quia regem suum amat; sed et contemnit indignos hos homines, utpote qui non intelligant quanti facere debeant munus suum quantamque utilitatem ex eo percipere possit omnis natio. Baro ille Cambrensis, Normannorum feodalium moribus informatus, jam « légiste » erat.

Haud aliter et in fide christiana sincerus erat, ita ut saepe ad superstitiones intenderet et persecutionem non abnueret; nec tamen a novis rebus abhorrebat. Quod si in his longius immorabimur, videbimus etiam in his Walterium Mappium temporis sui mores in se expressisse, imo nescio quid novi iis adjecisse.

Eadem est Walterii fides quae ejus aequalium, studium idem in mirificas res, idem Ecclesiae amor. Quotiescumque de religione disserit, tranquille ac sine ulla dubii anxietate loquitur. Nunc postquam animadvertit saepe in curia honestissimis hominibus aliqua dissimulatione utendum esse voce submissa et quasi levi murmure, ut mentem suam pacare possit, addit : « Consilium autem salubre nemo

1. *De Nugis*, p. 212.
2. *Ibid.*, p. 210.
3. *Ibid.*, p. 242.
4. *Ibid.*, p. 243.

ambigit, ut semper in occulto colatur Trinitas, et in cordis arcana puritate sincera devotio celebratur, quatenus interius solennitate servata, decenter et caste defensa quocumque modo saccum concidi permittat Dominus [1] ». Nunc, dum credit Deum semper nobis adesse, fere omnia fata fieri affirmat [2]; aut si fragilem declarat humanam naturam esse, gratiam, ut integra christianorum fides exigit, definit : « Sciamus, ait, sine Deo nihil posse fieri, et conemur tanquam ex nobis initia sint, et nulli conatui desit spes et oratio; accingamur vim facere donec nobis ut assit et nostram ipsi placere sciamus violentiam [3]. » Longe de origine ac vi Spiritus Maligni disserit [4], Luciferumque nobis ostendit e coelo expulsum, fingitque eum nihil esse nisi odium quod in Deum mali homines habent; quare subrepit serpens undique et plurimas inducit formas : « Parem se facit omnibus..... in modicis parvus, sublimis in altis, in tugurio pauper, in palatio dives... Quod in mundi terminis tenetur intabescit, in omni vita terrae, maris et aeris pestilenter inhabitat, ut etiam vami vermis invidere sciat. Quidquid secundum melius vel deterius in vita dicitur, inficit, et ab inferiori susceptus superius impetit, et cum obtusus sit in Deum audere sublimiora quaeque, quasi quae Deo proxima videntur blasphema decerpit. » Quae Walterii fides non omnia solum Ecclesiae praecepta subit, sed et si quis praecepta eadem subit et colit, magna admiratione ac veneratione eum afficit. Notus ille pietate monachus [5], clarus ille carnis crucifixione cenobita [6] est? hos fere deos Walterius Mappius habet, et, si quid periculi adsit, invocat; quippe

1. *De Nugis*, p. 181.
2. *Ibid.*, p. 94.
3. *Ibid.*, p. 137.
4. *Ibid.*, p. 124.
5. *De Nugis*, p. 69.
6. *Ibid.*, p. 76.

qui videantur ei ad Deum propius accedere. Quid plura? Quis dubitet ei eamdem fuisse fidem, quae fuit aequalibus ejus, cum, librum suum *De Nugis* dum inchoet, sancti Augustini testimonium invocet, laudet finiendo eum « qui sedet super thronum et judicabit justitiam[1] », imo creduliorem eum, non aliter ac aequales, habeant superstitiones. Nam miraculum, ut his, sic et illi, nihil mirum videtur esse, cum sit frequens, nec tam singularis fabula narratur quae careat credulo auditore, creduloque qui eam litteris mandet scriptore. Saepe fit ut mens hominum cum ex infantiae tenebris ad clariorem lucem exsurgat, puerorum retineat ignaviam quamdam ac timiditatem. Mors enim instat, instat et Deus, dum credunt eum cotidie humanis rebus interesse, instat denique natura, cujus leges omnes ignorant : quare semper errant, nec discrimen ullum in ulla re, seu vera, seu fabulosa afferunt. Satis nobis constat easdem eo tempore fuisse omnibus curas, cum non se iis subduxerit vir ille ingeniosus et gravis, Walterius noster. Frustra autem per itinera ac libros longe pererraverat, frustra freti Gallici fluctus transnataverat attigeratque Alpium nives; frustra usus erat et societate hominum e variis generibus ortorum, et disciplinis omnibus sive philosophorum, sive philologorum, sive juris interpretum : illitteratos homines atque rudes nulla incredulitatis vis superabat, si quid miraculi appareret. Damnata anima surgit, quam pacare non possis, ni sacra aqua tumulum resperseris ejus, cruce ornaveris, precibus honoraveris; aut praedicatur haedi sanguine adamantes[3] coruscare; aut narratur feminas quasdam esse quas Satanae furor possideat, praebeatque viris amore fruendas donec noctu evanescant, paludibus se immittant, vel dracones[4]

1. *De Nugis*, p. 243.
2. *De Nugis*, l. II, 27, 28, 29, 30.
3. *Ibid.*, p. 4.
4. *Ibid.*, p. 169.

fiant; aut de monstris [1] loquuntur quae saepe subito oriantur, aut denique affirmant episcopis potestatem esse scauros corrigendi et fures [2] deprehendendi : gaudet his fabulis Walterius Mappius, nec curat utrum e christiano fonte maneant, an pagano, utrum Wallensi, an Normanno. Quare non mirabitur lector animam hanc tam fidei curiosam ut saepe superstitione fidem suam auxerit, tamque credulam ut saepe credulior appareat, catholicam Ecclesiam carissimam habuisse. Potestatem ejus Walterius Mappius defendit, multisque privilegiis jure frui eam aperte declarat. Quod si quis haereticus est, ut Albigei isti et Poplicani « qui non accipiunt de corpore Christi et sanguine, pane benedicto nos derident » institutamque Ecclesiam funditus evertere vult, hunc proprium inimicum sibi Walterius arbitratur esse. Reges approbat, si hos haereticos castigent [3]; episcopos laudat, si tradant eos plebi, destinatas igni victimas [4]; militum pietatem praedicat, si variis veneficiis deprecentur haereseos contactum [5]. Quin etiam de haereticis fabulas turpes, utque videtur, falsas narrat : sic Albigeos sine incredulitate memorat certis diebus inter se congruere, silentioque facto, clausis januis atque fenestris, non in medita-

1. *De Nugis*, p. 180.
2. *Ibid.*, p. 71, 72.
3. *De Nugis*, p. 62. « In Angliam nondum venerunt nisi sedecim qui praecepto regis Henrici secundi adusti et virgis caesi disparuerunt in Normanniam. »
4. *De Nugis*, p. 63. In civitate Galliae quadam populus duos haereticos nolebat igni dari, quod innocuos eos esse credebat neque enim rogos incendi potuerant. Contuluerant ergo « pontificem Viennae, qui eos in domo majore conclusit ligatos domumque totam extra circuiens aqua benedicta conspersit contra praestigium; ignem jubet apponi, qui nullis flammis nullisve fomentis domui potuit inhaerere vel quicquam adurere. Insultat igitur pontifici tam laesa fide civitas, ut manifeste multi stultis in eum vocibus prorumpant, et, si non obstet reverentia, pontificem ipsum in flammas dejicerent. Depulsis igitur hostiis in domum irruerunt, et ad postem venientes carbones ex ossibus eorum factas inveniunt, vincula vident illaesa, postem intactum. »
5. *De Nugis*, p. 62. Huic juveni alludit qui nunquam, ut malignum spiritum repellere semper posset, salinum secum portare negligebat.

tionibus ac precibus tempus consumere, sed in his, quae vix patienter audias : « Descendit per funem appensum, in medio, mirae magnitudinis murelegus niger, quem cum viderint, luminibus exstinctis, hymnos non decantant, non distincte dicunt, sed ruminant assertis dentibus, acceduntque ubi dominum suum viderant palpantes, inventumque deosculantur, quisque secundum quod ampliore fervet insania humilius, quidam pedes, plurimi sub cauda, plerique pudenda et quasi a loco foetoris accepta licentia pruriginis, quisque sibi proximum aut proximam accipit commiscenturque quantum quisque ludibrium extendere praevalet[1]. » Sectam aliam etsi minus inhumaniter, non tamen minus acriter increpat. Valdenses dico, quorum aliquot duces Romae cognoverat. Quid tamen in his reprehendere poterat qui, ut fatetur ipse, « nusquam certa habent domicilia, circumeunt nudi pedes, laneis induti, nil habentes, omnia sibi communia tanquam apostoli, nudi nudum Christum sequentes[2] »? Quam ob causam, cum a cardinali Romano jussus est eos de doctrina sua interrogare, insidiis eos scolasticorum more invadit, ita ut rudes atque imperitos det ludibrio et his qui interrogatis illis adfuerunt et his qui responsa eorum aut tunc legerunt aut etiam nunc legunt? — (Postquam enim eos percontatus est, num credant in Deum et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, iterum percontatus eos, num et « In matrem Christi crederent, responderunt : Credimus. »)

Cur igitur huic sectae tam ingratum et infensum animum praebet, cum nec mores nec superbia sectae hujus tanto periculo Ecclesiae sint quanto Albigeorum? At et Valdenses Ecclesiae auctoritatem infirmabant, dum aliquot viros exhor-

1. *De Nugis*, p. 62. — Q. Wright prooemium.
2. *Ibid.*, p. 65.

tabantur fidem suam hinc aut illinc resecare neminemque medium inter te ac Deum adhibere.

Nihil Walterius Mappius concedit cum de cleris agitur; omnia negat; cleros enim vult primum in re publica obtinere locum, quia nulli sunt cum doctrina, tum moribus cleris pares [1]. Ut autem in clerorum potestatem conferatur quidquid ad animos gubernandos et ad administrandam rem publicam pertinet, necesse est potestatem illam confirmare et quidquid eam lacessere possit abrumpere. — Valde ergo oporteret apud Anglos beneficia hereditate transmitti, ne bona in plures partes dividerentur, neve augeretur mendicorum presbyterorum numerus [2]. — Apud Gallos autem, jurisdictionis ecclesiasticae in unaquaque provincia jura coli, ut coluit Ludovicus septimus qui « tantam Deo reverentiam habebat ut quotiens aliquid emersisset causae, quod ipsum et ecclesiam contingeret, sicut unus canonicorum censura se capituli moderabatur et appellabat a gravamine [3] ».

Haec omnia dici oportebat : nunc tamen justum est ostendere quam saepe aequales suos Walterius Mappius, et de rebus ecclesiasticis reprehenderit et quomodo mores saepe mutare cupiverit. Nec enim nobis placet, postquam sincere fidem ejus et in religionem Christi et in Ecclesiam lectori claram fecimus, oblivione perire quidquid antea diximus, cum Walterium, adhuc juvenem, observavimus Parisiensis Universitatis disciplina ad libertatem animi esse vindicatum.

Plurima sunt in libro *De Nugis* vel de Pontificali Curia vel de monasticis quibusdam ordinibus aut mordaciter aut per ludibrium referta. Jam duodecimo saeculo duo vitia

1. *De Nugis*, p. 8.
2. *Ibid.*, p. 37.
3. *Ibid.*, p. 216.

notat diligenter ac clare Walterius Mappius, propter quae, decimo sexto saeculo, catholicae Ecclesiae Reformatio fiet. Non dissimulat Walterius Romam illam, christianae religionis caput, non sibi gratam esse ; sed laudat Anglos illos pios qui malorum suum remedium in templis suis et apud patrios Sanctos requirant, non ultra maria ac montes, Romae, juxta Petri ac Pauli tumulos[1] ; — et gaudet animadvertere Romam non tam Romanorum ingenuis ac vere novis moribus notam esse, quam populi hujus luxu atque licentia qui terrarum orbem omni modo vexavit et exspoliavit : « Hoc enim nomen Roma ex avaritia suaeque diffinitionis formatur principiis, fit enim ex R et O et M et A et diffinitio cum ipsa, radix omnium malorum avaritia[2] ». Scimus post saecula octo viatori cuidam, sincero ac polito homini, cum sperasset se in Urbe religionis gratia ac poetico sensu permovendum esse, non gothicas basilicas obviam fuisse, sed Renovationis tempore edita templa, non christianos ornatas, sed paganos ; qui, cum vellet veteris temporis agnoscere vestigia, dum pererrabat, pro circis lanienas invenit, pro palatiis lupanaria, servos in macellis venditos pro foris. Nec id Walterio satis est : sed et curiam hanc vehementer insectatur quam nos, cum jam nulla curia sit, verecundius habere debemus. Non autem aliud crimen ei indicit quam aequales indicebant : nam venalem eam esse declarat ; alii, sed longe postea, alia ob crimina eam increpabunt. Quod autem reprehendit Walterius, id nobis grave esse videtur : nec enim ignorabat quomodo res Romae se haberent (scimus enim eum Romae fuisse delegatum, scimus et Henricum II saepe nummis dociliores hominum mentes fecisse). Ceterum fabellae, quidquid affirmat Walterius, diligenter commendant. Aut enim, dum apud tri-

1. *De Nugis*, p. 81.
2. *Ibid.*, p. 87.

bunal Magnimontis monachorum causa agitur, judicum segnitatem ac tarditatem notat, « quia nondum verrunt bursae judicium »[1], aut narrat Hospitalibus, dum ipse Romae residebat, jurisdictionis suae jura, forsitan a concilio esse negata[2] : « sed Concilio soluto statim aperuit rugas oris sui domina bursa, quae cum non sit amor, vincit tamen omnia Romae, factique sumus iterum eis praeda privilegiis virtuosius firmatis[3] ». Aut episcopum denique Saresburensem, Jocelinum, filiumque ejus Bathensem episcopum altercantes inducit : Cantuariensis episcopus hunc consecrare abnuebat. Jocelinus ergo, cum Romanae Curiae haud exspers esset — erat enim origine Lombardus, — gementi Reginaldo : « Stulte, velox ad Papam evola, securus, nihil haesitans, ipsique bursa grandi paca bonam alapam, et vacillabit quocumque volueris ». Reginaldus igitur Romam petivit; « percussit, vacillavit ille, cecidit Papa, surrexit pontifex, scripsitque statim in Dominum mentiens in omnium brevium suorum principiis; nam ubi debuisset scribi bursae gratia Dei gratia scripsit[5]. » Walterius, non Romanae Curiae iratur tantum, sed et illudit.

Nullis jocis indulget, cum de monasticis ordinibus tractat : totus in ira est. Nec tamen omnibus monachis iratur; quorum institutionem, ut infra iterum dicemus, magni facit; sunt quos, ob virtutes suas, castitatem, paupertatem, patientiam colendos, colit et veneratur. Sed in hos invehitur qui « omnem omni studio lucri viam inveniunt et sequuntur, qui omnem avaritiae portam aperiunt et

1. *De Nugis*, p. 29.
2. Haec jura erant : si quis propria jura ordo habebat, episcoporum jura non subibat; sed si quid litis erat, ad Romanum tribunal deferebatur
3. *De Nugis*, p. 37.
4. De 1174 ad 1191.
5. *De Nugis*, p. 35, 36.

ingrediuntur, qui nullam excogitant emolumenti saevitiam, quam non exsequuntur ». Haec eo tempore avaritia multis in monasteriis crescebat; quae multis modis erumpebat. Nam si quibus interdictum erat « possidere ecclesias », obtinebant tamen : « ab advocatis jura praesentationum et immisso vicario, non ecclesias possident, sed pensiones annuas [1] ». Saepe etiam monachi tam continuo vicinos suos vexabant ut hi terras suas vendere cogerentur; quidam donationum acta ac litteras testamentorum mutabant, non sine « cancellariorum » quorumdam venia. Quin etiam erat, ut Walterius quidem noster ait, cum non violentia uti dubitarent [2]. Monachi enim, qui monasterium in agro Eboracensi habitabant, vivarium vicinum occupare cupiebant, ut agrum frumentarium facerent. Hoc autem dare nolebat qui possidebat. Quae cum ita essent, occisus est, cum famulis suis, contumax ille vicinus : sceleris adjutor unus ex domesticis fuerat, nec mortem vitavit ullus, exceptis uxore infanteque, quos maritus fortiter « defendit, dum stare datum est, ut evaderent ». Vidua ergo apud patrem confugit, qui comitantibus amicis, post duos dies, venit. Sed « ubi scierant aedificia, sepes et arbores magnas, planissimum inveniunt campum bene aratum et nullam rei humanae apparentiam ». Veritatem vero suspicatus pater, fores aperuit vicini monasterii, invenitque « arbores radicitus avulsas in magna frusta concisas ». Rem ergo ad tribunal defert; infidelis janitor omnia declarat, monachosque rem fecisse pronuntiat, qui, sibi pro infidelitate paradisum promiserant. « Suspensus ergo infelix poenas omnium tulit, et ipsi, domini regis Henrici arbitrio, pro reverentia Christi, manere jubentur illaesi [3]. » — Nec

1. *De Nugis*, p. 37, 57.
2. *Ibid.*, p. 54, 55.
3. *De Nugis*, p. 55.

tamen tam cruenter, nec tam injuriose semper monachi agebant. Saepe si vicinis suis aes alienum erat aut nimia prodigalitas, monasticam vitam, communem habitum, monasterii divitias laudibus efferebant; invitabant ad splendida prandia : « Sibi spondent, ait Walterius, apparatus cotidianos et vultus semper hilares, jejunis ostendunt officinas, quoscumque possunt in eorum conspectu thesauros effundunt monasterii[1] ». Non longum tempus erat priusquam, deceptus falsis imaginibus, caperetur : captum deinde spoliabant.

Hanc Walterius avaritiam multis monasticis ordinibus crimini dabat, Templiariis primum atque Hospitalibus, sed et Cisterciensibus praesertim, monachis albis, Cistercii habitantibus. Non tamen vitium hoc solum prioribus objicit, sed etiam vituperat quod milites sint. « Ibi gladium, inquit, accipiunt in tutelam Christianismi, quod Petro prohibitum est in defensionem Christi. Petrus ibi didicit pacem quaerere patientia », addit Walterius (in quo miramur eo tempore hunc sensum esse), « nescio quis hos docuit pacem vincere violentia. Gladium accipiunt, et gladio pereunt. Dicunt tamen omnes leges et omnia jura vim vi repellere permittunt. At ille legem hanc renuit, » —, (Quid aliud postea Tolstoï praedicabit?) —, « Qui Petro percutiente legionibus angelorum imperare noluit[2]. » Cistercienses autem reprehendit[3] quod, cum agris fortunas suas omnes collocaverint, nihil nisi agros colant, quodque inter omnes maxime respuant liberales doctrinas, ab Abelardo ejusque discipulis praedicatas. Non fugiebat Walterii aequales[4] eum Cistercienses in odio habere, multaque referebantur, inter aulicos, sive jocosa sive tragica.

1. *De Nugis*, p. 44.
2. *De Nugis*, p. 32.
3. *Q. Jacobi de Vituaco Hist.*, Occid., c. XIII, XIV, XXXI.
4. Girald. Cambr. *Speculum Ecclesiae*, p. XXXI.

Responderat olim Walterius colloquenti Henrico secundo recte se et juste de omnibus hominibus judicare, exceptis Judaeis ac Cisterciensibus; neque enim jure juste judicasset, ut aiebat, de his quos avaritia sua ne alieno quidem bono abstinere pateretur, quosque sua ambitio nullum facinus deprecari sineret. Dictus erat amplexum esse priorem quemdam Cisterciensium ordinis, quod regis praesentia indictoque sibi ab eodem Walterio Mappio crimine, perterritus, non in contrarium disputare esset ausus, sed timide ambigua haec verba emisisset : « Si totum ordinem et monachos ordinis intus et in cute plene novisset, multo minoris apud ipsum pretii longe minoris dignitatis, absque dubio forent ». Idem ille denique Walterius Mappius, cum olim monasteri vicini priorem jam ad mortem accedere cognoverat, in eum irruerat, vehementerque torquens eum flagitabat nonne vellet maledicti hujus ordinis insignia a se projicere ac vitia agnoscere et confiteri, priusquam jam nihil vitae superesset[1]. — Non tantam inimicitiae vim satis clare explicarent simultates quaedam privatae quae inter monasterium quoddam Cisterciensium Westburensemque[2] ecclesiam ortae erant. Nec jure diceret aliquis nihil aliud se in his simultatibus videre velle nisi clericum quemdam beneficia sua servantem ac tuentem : haec enim ira Christiani est qui fidem suam vexatam deploret; etiam litteratissimi viri est, cujus contemnat aliquis disciplinam[3]. Cistercienses enim Walterius Mappius accusat, quod christianismi primordia obliviscantur nec gaudeant precibus ac meditationibus, sed — quod longius a Deo est — commercio.

1. Q. Giraldum Cam., op. cit. — Quae a Giraldo sunt narrata, etiam in Walterii Mappii poematum editione invenias.

2. Girald. Camb., op. cit.

3. Declarat Walterius in libro suo *De Nugis* se non injurias vitavisse. Libellum quemdam, in Walterium a Bothewald quodam scriptum, invenias in Walterii poematum editione.

Nam certe non curant an in exemplum ponenda sit Maria Magdalena, dum ad Christi genua procumbit et remanet, ut ejus verba quasi ex ore delibet, non genibus submissis immorantur, sed « ad laborem exeunt, manibus agriculturam omnimodam exercentes propriis intra septa, mecanici extra, runcatores, opiliones, negotiatores, in singulis officiosissimi; bulbucum non habent vel subulcum, nisi ex se, nec ad minimas et viles custodias vel opera feminarum, ut lactis et similium quempiam propter conversos suos admittunt, ad omnes operas omnia sunt, unde impleta est terra possessione sua, cumque non debeant ex evangelio cogitare de crastino, tantam habent opum residentiam ex sollicitudine ut cum Noe (non ?) possint archam ascendere securi, cui nihil spei relictum est extra[1] ». Quare ordo ille monachorum, cum omnem suam curam converteret ad ejus modi laborem, qui nihil ad Deum spectet, necesse erat paulatim lucri etiam etiamque curiosior fieret. Vicit ergo agricultura cultum Dei, plurimique fecit agricola ea quae Christiano mimini facienda videbantur. Augent igitur domania sua monachi iterumque augent; tecta, vicos, templa eruunt, nec aliquid curant nisi ut latius arva sua pateant. Testamenta captant, nec viduis aut orphanis hereditatem suam reposcentibus aurem praebent. Quin etiam, non omnino a scelere abstinent : tanta eorum avaritia est; saepe falsas litteras chartis inserunt, prodigos aut aere alieno obstrictos homines insidiis decipiunt, etiam quosdam ad caedem cient, sive apertis sive secretis exhortationibus. Earum rerum omnium videbatur Walterio Mappio quodam modo auctor esse sanctus Bernardus de Clarevallensi, qui instituendo ordini inter primos interfuerat. Hunc Walterius vehementer oderat, non solum utpote qui christianam doctrinan, ut sibi quidem videbatur,

1. *De Nugis*, p. 45.

vitiaret, sed etiam quod amatos magistros, Abelardum ac Gilbertum monachus ille superbus contemneret et condemnaret. Placet iterum et nunc illius sancti Bernardi personam delineare, non tam ut figura quam ut sensus ejus appareant. Videbatur omnibus aequalibus suis abbas ille immodestus clericus esse, cui deminuta hominum mens semper placeret, aucta nunquam. « Erat, ait aliquis, tam ardenti sua fide superbus quam insita « simplicitate » credulus. Irascebatur si quis humanam sapientiam nimis faceret aut in nimio usu haberet, nec talem hominem dubitabat hereticum habere, dum referret aliquis pronuntiatum ab eo verbum aliquod minus christianum[1] ». Tanta Bernardi arrogantia erat ut etiam praestantissimos aetatis suae viros haereseos condemnaret, si quid de his narrabatur quod a recta fide abhorreret. Quare primam hanc Renovationem morum, quae duodecimo saeculo instituta est, sanctus Bernardus nascentem fregisset, ni contra stetissent liberales illi viri Petrus Venerabilis, Abelardi filii patrinus, ipsiusque Abelardi, jam aetate provecti, consolator, Walteriusque Mappius, et Joannes Saresburensis. Non aliam ob causam odit Walterius Bernardum, et Malignum Spiritum eum appellat et Lucifero comparat et injuriis, tanquam sagittis, prosequitur. Jam supra retulimus quasdam de Bernardo a Walterio inventas facetias : liceat tamen et has, quibus nullae jocosiores sunt. Recens mortuus erat Bernardi amicus quidam Cartusioque sepultus fuerat. Bernardus igitur, sine ulla mora..... sed ipsum Walterium Mappium audiamus : « Convolavit ad sepultum illud, et cum diutissime prostratus orasset, oravit eum Prior ut pranderet ; erat enim hora. Cui Bernardus : « Non recedam hinc, donec mihi loquatur frater Walterius », et exclamavit voce magna dicens :

1. Q. Otto de Freisung Frederici Barb. vitae scriptorem, cap. 47, p. 376. — Apud Poole, op. cit., p. 183.

« Waltere, veni foras ». Walterius autem quia non audivit vocem Jesus, non habuit aures Lazari, et non venit [1]. »

Iterum dici de Walterio novissimum illud verbum potest, quod pertinet ad ea quae de Ecclesia sentit. Nec enim secessum quo confugit relinquere nec Ecclesiae audaciores excursus sequi vult; timet ne quid periculi adsit, dum firmet Ecclesia Papae potestatem, et monasticis ordinibus libentius faveat. Nec tamen mali remedium proponit, nec rerum novarum auctor ullo modo est. Satis fecisse credit si reprehenderit : mutent res in melius alii. Catholicus Walterius est qui pericula futura esse praesentiat erroresque exprobret; minime reformator est nec quomodo possint res emendari curat. Nam, etsi aequales suos superat, non tamen e tempore suo evolat, nec jure eum cum his conferas qui futura tempora statim attingunt nationesque eo ducunt quo eas pergere fata sua poscebant. Jam animadvertimus eum, sicut aequales, clericorum saecularium commoda atque immunitates vehementer defendisse; non ab aequalibus dissentit cum admiratur quomodo instituti sint regulares [2] clerici; at maxime veneratur Chartrosae et Magnimontis [3] ordines, quorum soli monachi vere gaudeant privationibus, solitudine, castitate; utque ii faciunt, sic et ipse fidem suam emendare, scripta perlegendo, laborat. Quare Evangeliis ac Sacris Litteris tam imbutus est, tam callide ex his doctrinas atque argumenta detrahit, ut saepe videatur non tempore suo vixisse, sed aequales suos tam superasse ut exstaretur Wiclefii magister. Nam confer, ut exemplo utaris, locum hunc quo Christi verbis opponit Walterius mendicorum, sive praedatorum ordinum praecepta : « Noster Deus dicit : « Qui non reliquerit omnia propter

1. *De Nugis*, p. 43.
2. *Ibid.*, p. 58.
3. *Ibid.*, p. 27, 28.

me, non est me dignus. » Deus eorum dicit : « Qui non adquisierit omnia propter se, non est me dignus »... Noster dicit : « Qui habet duas tunicas, det non habenti. » Deus eorum : « Si non habes duas tunicas, aufer habenti. » Noster : « Beatus qui intelligit super egenum ac pauperem »; eorum : « Beatus qui fecerit egenum ac pauperem. » Noster ait : « Ne graventur corda vestra, attendite curis hujus saeculi, ne superveniat in vos repentinus dies. » Eorum dicit : « Attendite ne graventur marsupia vestra per curas hujus saeculi, ne superveniat in vos quasi viator, egestas »... Quae cum nos legimus, jam sextum decimum saeculum adesse credimus et quosdam exspectamus quos meminimus eamdem Scripturarum eloquentiam usurpasse. Sed Walterius non ea e Scripturis argumenta detordere curat quae illi posterius : mores castigare et emendare curat.

Illud enim in Walterio Mappio persona tertium specimen invenimus : quod a secundo differt, etsi confirmet. Nam fieri potuit ut in hac aetate interius fides lateret, ita ut propriis ac intimis cogitationibus, mysticisque meditationibus praecipue gauderet : etiam fieri potuit ut tantum animos invaserit atque occupaverit ut nullum judicium vel ad mores vel ad omnem quamcumque rem respectans non quasi flamma sua ac lumine penetraret atque illustraret. Quin etiam illud non concesserim eam esse veram atque integram fidem quae non credentes impellat ad vultus observandos animasque subtiliter dispiciendas, ita ut possint inde quod credant firmare et in mores emendandos ea convertere. Quod si quae fides ea non curet, proprius tantum alicujus hominis sensus illa est, aut amori aut timori propior. Equidem ego non ignoro talem fere omnibus hominibus medio aevo fidem fuisse cum incultis adhuc ac rudibus mentibus nulla noctis tenebras lux distringeret. Ut vero primum duodecimo saeculo illucescit coelum, ipse

christianismus expurgatur, cumque de moribus jam scribentibus cura sit, litteris multi promittentur novi libri. Francia, ut saepe fit, ceteris omnibus praeest. Fatetur Dantus, in libro *De vulgari eloquio*, praestare vicinis nationibus Franciam non « gestis » tantum et fabulis, sed ei didascalicis scriptis. Nihil enim eo tempore fovebant, nisi genus hoc scripti « moralité » dictum. Quare ad mores omnia respectabant, zoologia, mineralogia, venatio, grammatica, etiam, auctorum quorumdam callida arte, litteraturarum ordo. Antiquos scriptores scrutantibus cura eadem erat : videmus duodecimo saeculo et Ovidium et Vergilium vivendi praeceptores fieri. Walterius Mappius, cum aetatis suae consuetudinem omnem adeptus sit, et hanc adeptus est. Saepe in libro suo *De Nugis* manifestum est non ex ejus memoria excidisse Bestiaria nostra : est enim cum bestias hominibus in exemplum ponat, non quas humanae societatis usus corrumpit, sed quibus remansit prioris libertatis ingenua lascivia : hae nos mollitiae fugam, hae nos recte sapiendi artem docent; namque vide : « Equus, bos, camelus et asinus et quidemcumque [1] vegetum est animal, a luto festinat eripi vel a fossa toto resilire conatu »; nos autem « in luto infixi » haud impatienter remanemus. Bestiae haud sui impotentes sunt : neque enim leges quas sibi instituerunt violant, et semper vigilant, et frugaliter vivunt : cervus, aper, dama, capriolus certam habent legem et tempus accubitus et concubitus, « soporis et vigiliae, vicesque non transgrediuntur positas sibi, ab hostibus cavere nunquam torpent, vestigia circumspectissime ponunt adusque cubilia, qua ab eis est indagatio, quasi scientes; si Catonis habeant et totius consilia senatus cautelae suae nihil adjicient ad fugam si divictuntur [2]; diu-

1. Sic in Wright editione.
2. *Ibid.*

tissime vivunt, pastus eis unicus folium et herba, natura promptus, non arte delicatus; potus aqua, nec raritate cara nec communitate vilis. » Nos autem leges omnes, postquam statuimus, transgredimur; nullus sui tam compos est qui non subito improvidus atque imparatus deprehendatur aut animi impetu aliquo aut inimici alicujus insidiis; nulli mediocritas aurea placet. « Sanius est ut irrationalium ratione regamur, quibus natura melius ordinem dictat quam nobis nostra sapientia[1]. »

Quodsi tamen non in gravioribus saepe cogitationibus de moribus Walterius Mappius versaretur, in his et nos temere longius versaremur : multi enim eodem tempore hujuscemodi scriptis indulserunt. Sunt autem multae causae cur Walterium arbitremur aequales suos et in hac parte superasse : nec enim longae consuetudinis usu aut scribendi artificio quodam se ad mores inspiciendos convertit, sed animi sui naturali impetu. Quod si quis id in dubio ponat, legat ipse et agnoscat qua haud semel et sincera nec ficta indignatione, quibus verbis pulcherrimis hebetem saepius ac decolorem librum *De Nugis* acriorem atque nitidiorem effecerit.

Ceterum id ut animadvertamus ipse orat; se enim confessus est omni ope atque opera enisum esse ut e rebus levibus grave quoddam atque utile exemplum evaderet[2]; et haec in ejus libro legimus, tam sublimia ut omni operi inscribi digna sint, eademque tam vera ut ejus vitam exprimant atque personam delineare videantur : « Quod si mihi esset tanta styli virtus quantus est scribendi animus, tam elegantia tibi verba transmitterem et tam nobili maritata conjugio, ut singula seorsum et simul omnia suum viderentur auctorem benedicere[3]. » Quis autem neget hunc vere

1. *De Nugis*, p. 25.
2. *Ibid.*, p. 123.
3. *Ibid.*, p. 146.

dignum fuisse qui vivendi praeceptor esset, cum omnes virtutes habuerit quas ab his praeceptoribus exigere solemus? Primum enim sincerus erat : Quod si Henricum saepe laudat, « non adulor[1] », inquit ; nec temere ; non enim solus Walterius nullum alium regi suo parem eo tempore extitisse declaravit, nullum regno suo pacem impertitum esse[2] sed et posteri declaraverunt. Non autem, dum sincerus est, est timidus : vehementer lacessere non dubitat regalium judicum[3] exactiones, et curiae[4] occultiores ambitiones ; audet in deterius habere judicia quaedam quorum rex ipse particeps[5]; vivo adhuc Henrico II, aut vix mortuo, integrum de domino judicium ferre non dubitat, etsi conjugium ejus condemnet (« Ludovici piissimi conjux, injustum machinata divortium, nupsit ei ») et ejus vitia non dissimulet. At quibus laudibus non ornare auctorem nostrum debemus cum, postquam paucis annis antea Normannus poeta, Luc de la Barre, quod Henricum primum[6] satira mordiderat, effossis oculis poenas dederat, de Henrici filio hoc tamen judicium fecerit : « multis clarus moribus et aliquantis obscurus vitiis fuit. Vitium est quod a matris suae doctrina, ut praedisci, contraxit, dispendiosus est in suorum negotiis, unde fit ut antequam negotia eorum consequantur multi moriantur, aut ab ipso recedant tristes et vani, fame cogente. Vitium aliud est, quod cum iter facit, non permittit se videri secundum vota bono rum, sed in interioribus clausis solis illis copiosus est, qui copia tanta videntur indigni. Vitium tertium est, quod quietis impatiens, fere dimidium christianismi vexare non

1. *De Nugis*, p. 57.
2. *Ibid.*, p. 140.
3. *Ibid.*, p. 8.
4. *Ibid.*, p. 10.
5. *Ibid.*, p. 55.
6. Lenient, op. cit., p. 39.

misereretur[1]. » Walterius tamen, quanquam sincerus erat erga hos quibus aut obedientia aut amicitia aut beneficio aliquo obligatus erat, nec veritatis integritatem servili ullo obsequio deminuebat, non ab admiratione temperabat, si occurreret aut pius et beneficus rex, ut Ludovicus ille septimus, aut bonus ac generosus miles, ut clarus ille « comes Campaniae[2] ». Quomodo enim virtutis vere magister Walterius noster non exstiterit, cum virtutem ipse tam bene coluerit, eamque vitam duxerit quae tales magistros deceat, primum generoso ardore fervidam libertatisque defensorum amantem; post, actionibus incumbentem ac gravibus cogitationibus indulgentem; magis autem, cum senectus venerit, meditationum in deserto monasterio curiosam?

Non nobis ergo mirum esse videbatur, Walterium Mappium ab ira aut satira non abstinuisse. Si quis enim officio suo non honeste fungebatur, concitabatur contra illum, et jam animadvertimus eum contra judices cujus venalis fides esset disputasse; concitabatur et si quis religionem, cujus insignibus ornabatur, dedecorabat (avaris monachis venalibusque cardinalibus infensum saepe eum contra stetisse vidimus), et si quis, etsi ea mente ut imminens arbitrio quidem suo periculum a fide amoveret, homines scientiam augere et animum luce nova illuminare vetabat (bis notavimus eum cum sancto Bernardo non aliam ob causam conflixisse). Saepe etiam curiae vitio dabat, quod hominum sordes ac vitia, cum in se contraheret, tum auctas hominibus redderet. Cum, ita in hos omnes feriebat, ut videretur flagellis eos caedere, plerumque gravi sententia praeceptum quoddam includebat. Nam audi : « Ad nostram, inquit, omnium instructionem expedit ut nemo clausis oculis vel auribus vel aliquo sensuum inofficioso

1. *De Nugis*, p. 227, 231.
2. *Ibid.*, p. 216.

vivat, sed ex rebus oportet extrinsecis intrinsecus aedificari, per haec sane, quia caeci sumus ad futura[1]. » Et infra : « Arctam, ut ais, tibi infligo vivendi regulam. Esto. Arcta enim est via quae ducit ad vitam, nec est semita plana qua itur ad gaudia plena ; immo etiam ad mediocria per salebras evadimus[2]. » Fit etiam cum subrideat etsi gravibus verbis utatur, nec longe tristitia absit. Nunc, ut qui publicis rebus implicatus sit, intellegit sibi melius esse, si non nimia aegritudine publicorum virorum mendacia judicet : « Cum enim paucissimi, ait, juvare possint, quivis nocere potest, nisi placatam habuero solus universitatem, nihil sum ; si virtuosus praecessero ut fiam invidiosus, clam detrahent, et defensores meos deceptos apparentia dicunt, si placet. Fatuum judicant pacificum, desidem tacitum, nequam bene loquentem, nimium benignum adulatorem, nihilum sollicitum cupidum, pestilentem pium[3] » ; nunc sibi ipse illudit, dum deplorat non aequales intellexisse quidquid eos docere voluerit. « Omnibus saeculis sua displicuit modernitas, et quaevis aetas a prima praeteritam sibi praetulit unde... epistolam meam mea spreverunt tampora[4] » ; nunc etiam ridet dum gaudet humili tecto : « Doloris aliquando levamen habemus, laetitiam nescimus ; sublevamur solatio, gaudio non beamur. Ascendit autem in nobis cum divitiis moeror, quia quanto quis major est, tanto majori quassatur suae voluntatis assultu[5]. » His et talibus a nimia severitate aberat ; qua saepe sapientiae magistri lectores fugant. Gallica concinnitate quadam celticam rusticitatem refricabat.

Facete ipse dicebat de eremita quodam, qui libenter ac

1. *De Nugis*, p. 138.
2. *Ibid.*, p. 152.
3. *Ibid.*, p. 181.
4. *Ibid.*, p. 153.
5. *Ibid.*, p. 181.

subridens ascetica tormenta tolerabat : « Hic fontem laetitiae Christum pectore gerebat cui nullam potuit infligere tristitiam augustia. Sint hypocritae sic, ut ait Dominus, tristes, quia perfecta charitas foras mittit cum tristitia, timorem[1]. » Homines enim Walterius Mappius plus diligebat, quam ut non intelligeret non jure quemquam familiares ac socios suos propriae infelicitatis, si infelix sit, participes facere, aut si asperam vitae rationem adeptus sit, durum hunc vivendi modum eis imponere. Hoc ultimum, dum ejus figuram iterum delineare studemus, notabimus. Subrideat ergo si quis inter homines vivat; aut in solitudinem recedat. Unus ex his Walterius Mappius fuit, quorum consilia homines non aegre audiant, cum etiam in mediis angustiis risum retineant dulcesque jocos. Quare Walterii multa aut subtiliter excogitata aut peracute expressa referebantur, ita ut saepius aequales obliti sint, dum illius joca et sales degustarent[2], gravioribus operibus incubuisse eum, posteri ipsi aliquoties sint obliti. Jam passim torpenti lectori, dum taedebat sermonis severioris, argutas sententias aut callide narratas nec insulsas fabulas objecimus; nunc placet hujuscemodi omnia in unum conferre, ut clarius appareat quanti sit auctor noster propter urbanitatem atque aciem animi sui faciendus.

Varium ac diversum ejus ingenium fuit. Primum egregie ac feliciter auditum responsum, si quid vivaciter atque acriter sonuit, reddit; multa jam talia lectori cognita sunt; his fabellas duas addemus, quarum alteram e Guillelmi, Anglorum regis, curia Walterius petiit, alteram e Ludovici VII junioris curia. Henrico regi mos erat per noctem juxta lectulum vini lagenas quasdam, ut tempus saltem ac ventrem vino, si non somno oculos posset, impleret. Cubi-

1. Epist. I, Joann., IV, 18.
2. *De Nugis*, p. 67.

cularius autem ac pueri cum animadvertissent dominum suum magis ob somnum vini immemorem in dies fieri, statuerunt cotidie, prima noctis vigilia, omne vinum bibere. Sed « contigit ut rex in conticinio vinum peteret, et non erat. Surgit Paganus » (hoc cubiculario nomen erat) « puerisque citatis, nihil invenit. Deprehendit eos rex venantes vinum et non invenientes. Advocat ergo Paganum trementem et timidum, et ait : « Quid hoc, nonne semper vinum habetis vobiscum? » Ille pavide respondit : « Immo, domine, singulis noctibus singula sextercia sumimus, et desuetudine vestrae sitis et petitionis illa frequenter aut sero bibimus aut post dormitionem, et veniam a vestra petimus misericordia vera professi ». Tum rex : « Non nisi sextertium unum sumebas ad noctem. » Paganus : « Non ». « Modicum illud erat nobis duobus; amodo singulis noctibus duo sumas a pincernis, primum tibi, mihi secundum [1]. » Saepè non hujuscemodi fabulam agit; sed colloquentes personas inducit. Erat apud Ludovici VII curiam femina quaedam virtute ac castitate minime integra, quae omnes curiae feminas impudicitia vicisset, in superbia praecipue superasset. Haec igitur apud regem conquesta est quod eques quidam « illiteratus sed jucundissimae facundiae » Galeranus ab Effria, quem Ludovicus valde amabat, nimis facetis carminibus Lutetiae undique praedicavisset regem pietate insignem etiam liberius familiaritate ejus uti. Tum rex attonitus : « Galerane, inquit, mea fero patienter opprobria, sed hujus consanguineae meae dissimulare non decet, cum ipsa sanguis meus sit, et unum membrorum meorum ». Respondit Galeranus : « Hoc herniosus es membro », quod facetius Gallice dicitur : « De cest membre es-tu magrinez. » Rex et hoc verbo se reverenter habuit. Rise-

1. *De Nugis*, p. 211.

runt alii, sed ipsa se derisam dolens intulit : « Domine rex, dimitte mihi vindictam ut morem ei gerem. Novi satis qua mulctandi sunt ultione mimi ; tres ei quaeram meretrices, quarum verbere suo more castigetur. » Tum Galeranus : « Domina, bene perfexisti, nam nisi duae tibi desunt. » Ludovicus non potuit quin subrideret, nec tamen a severitate abstinuit, fuitque Galeranus ob joca sua in exsilium pulsus.

Non Walterium Mappium joca sua in exsilium immisere : plura enim et magis varia erant quam ut aut hoc aut illud tam gravi praemio rex afficere posset. Quorum sunt quaedam innocua ; sales enim sunt nec juvenili aetate indigna ; quaedam subtiliora a litterato clerico inventa esse videntur ; sunt denique multa quibus, ut flagellis, vitiosos fustiget homines. Sic in libro *De Nugis* miscentur et honestissimae fabulae quae militum urbanitatem retineant, et lascivae quae fableorum licentiam usurpent, feminasque rustice derideant. « Insani capitis et praecipitis animi femina, illibata semper voluntate praecipuum arbitratur quod vult, non quod expedit ; et ut prae omnibus placere cupit, placitum suum omnibus praeferre consulta est[1]. » Etiam severus hic philosophus maritorum conjugalia mala deplorat. Ingemuit unus : « Ad summam felicitatem nihil mihi deesset, si mihi semper uxor defuisset[2] » ; exclamat alter[3] : « Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua se prima uxor mea suspendit et postmodum secunda ; et jam nunc tertia. » Cui amicus : « Miror te in tantis successibus lacrymas invenisse » ; tum addit : « Dii boni, quot dispendia tibi arbor illa suspendit » ; postremo submissa voce : « Amice, da mihi de arbore illa surcolos, quod seram. »

1. *De Nugis*, p. 150.
2. *Ibid.*, p. 147.
3. *Ibid.*, p. 148.

Non tamen in his salibus moratur Walterius : habent enim nescio quid antiquius et magis cognitum et minus novum [1]. Facile autem subtiliora atque elegantiora invenit, cum scilicet inquirat quibus e theologia petitis dolis Cistercienses fidei suae christianae avaritiam accommodent. Duos autem dolos fingit ab iis inveniri. Nam primum eos reprehendit, quod alios homines spoliant, nedum ament : « Sed, ut aiunt, inquit Walterius, diligunt in Domino; diligere autem in Domino, diffiniunt [2] velle salutem animae proximi : corporis omne subsidium excludunt, sic certe meos omnes nimicos diligo, quia videlicet dissolvantur et sint cum Christo ». Et addit Walterius : « Solationes habent singulas ad singula, quas ipsi sciunt; una tamen est universalis ad omnia ad expediendam vim vel rapinam vel quicquid affert cupiditas, aiunt : « Spoliamus Aegyptios, dicamus Hebraeos », tanquam ipsi soli sint quos educat a tenebris Dominus. Breve nimis faciunt regnum Dei, si propter ipsos omnes delirant [3]. » At saepe Walterius etiam majorem vim in eloquendo usurpat; tunc nihil jocosi in verbis est; sed vehementer contra disputantem aggreditur ac complectitur, frangitque eum, nec arma devicto supersunt. Multa ejusmodi memoravimus, dum Walterium Mappium, adversus sanctum Bernardum spuriumque Geoffrium liceat tamen et exemplum hoc insuper addere. Walterio Geoffrius, postquam episcopalem dignitatem resignaverat, cum obvius quodam die fuisset : « Qui suae quondam praebendae canonicus erat, ingemuit : « Reddes praebendam meam » et nolens Mappius : « Sume certe volens, si potes omnia quae gratis amisisti per aliquod ingenium recuperare. »

Placet in hac sententia immorari, cum necesse sit non in

1. *De Nugis*, p. 42, 43, 236.
2. Sic in Wright editione.
3. *De Nugis*, p. 45, 46. Q. jam citatos locos quosdam, p. 42, 53, 236.

longius ducere caput illud quo personam hanc, etsi breviter, describere tentavimus. Frustra vellet aliquis adstrictius et quasi uno verbo qualis Walterius fuerit exprimere : nam Wallensis ille, cum Normannae arrogantiae nescio quid adsciverit, regi tamen fidelis fuit ; monachus ille fidei suae integritatem atque Ecclesiae privilegia ardenter defendit ; nec tamen ordinum quorumdam disciplinas approbavit nec crescentem in diem Romanae Curiae auctoritatem libenter expertus est ; magister ille virtutis ac sapientiae praeceptor et vitae regulas placide instituit, et saepe irae nec indignationi pepercit, nec a jocis et salibus abhorruit. In quo omnia reperias quae duodecimo saeculo hominum animos antiqua et nova sollicitaverunt, nullius tamen gentis propria vestigia : nondum enim Anglorum genus e primordiis concretum est. Tam autem arcte Walterius in se implicuit et quae origini suae debebat, et quae huic genti quae ejus adolescentiam aluit, et quae his hominibus undique ortis quibuscum vitam fere omnem duxit, ut ex ejus scriptis nemo possit agnoscere quibus aut plura aut minora debuerit. Inter excellentes hos homines collocandus est qui, ex omnibus Septentrionalis Europae partibus extrusi cum easdem Universitates, vix quidem institutas, frequentaverint, eosdem viros sint admirati, doctrinis ac disciplinis iisdem sint formati et iisdem libris eruditi, ejusdem renovationis in regionem suam fugitivam lucem eamdem retulerunt.

Cur autem tam fugitiva lux illa fuerit, cum jam penitus quae cogitaverit Walterius Mappius perlustraverimus ac diligenter perpenderimus, jam non obscurum erit.

II

Non nos tamen nimis breviter de his disseruisse arbitraberis, cum quid disseruerimus legeris.

Maxima ingeniorum erat, duodecimo saeculo, exceptis quibusdam egregiis viris, simplicitas : nec enim scientiae multas rerum species eis ostenderant, ex quibus possent nova principia rerum instituere; nec rudibus eis communis impetus communibus disciplinis dari poterat. Walterii igitur aequales, cum concretis rebus non studerent, nec communibus opinionibus uterentur nec ulla docendi aut discendi ratione ac via, pro factis pronuntiata a scriptoribus oracula, si quae tempore non perierant, prae se ferebant. « Magister dixit... »

Saepius etiam theologiam, cum non ipsam rerum naturam observatam, veritatis praeceptricem habebant. Quae cum ita essent, et gravabantur eorum memoriae et ingeniorum acies frangebatur : duplex ejusmodi culturae incommodum. Quod si quis horum causas reperierit, manifestum jam erit duodecimi saeculi litteraturam nec satis maturam, cum ratione nulla aut disciplina usa sit, exstitisse, nec satis juvenili ardore viguisse, cum non aut animi impetibus aut ingenii cupiditatibus indulserit.

Haec et in Walterio nostro observantur; nam primum nescio quid juvenile habere videtur, dum ingenue ostendit omnia quae didicit e libris; — nec tamen ea in sanguinem ac nervos immisit ita ut possint eum ad nova propria ingenii vi ferre; — nec res ex ordine exponere valet, nec breviter contrahere ac diligenter exprimere — Dein desiderare posses Walterio aliquid juvenilius inesse, cum in sententiis minus singularis sit, in rerum inventione minus abundans. At narrationis arte aut nemo aut Walterius Mappius excellit.

Miratur, si quis legit, Walterium, in libro suo *De Nugis*, jam ab initio et obscuris et longis dissertationibus liberius indulgere et citationibus minus abstinere. Sentit enim lector juvenili scriptori curae continuo esse, quomodo possit

memoriae suae ob divitias laudandum se praestare. Nunc de grammatica [1], nunc de scolasticis [2] disputationibus abundantius disserit. Etiam abundantiorem eum in citationibus invenias : quarum septuaginta novem exempla in libro *De Nugis* reperias, scilicet trinis paginis singulas citationes. Dimidia pars [3] ex Evangeliis aut Scriptura, aut Psalmis, aut e sancto Augustino defluxerunt ; partem alteram e laicis scriptoribus sumpsit. Quod si quis vellet ex his observare quos magis foverit Walterius scriptores, primum obtineret locum Horatius [4], secundum ac proximum Psalmi [5]; post, Evangelia [6]; dein Vergilius [7] ac Scriptura [8]. Ovidio, Juvenali, Lucano, Boetio... quater [9] citatos esse, Phaedro, Aulo Gellio, Terentio semel [10], satis esset. Non potest Walterius, ut primum rem aliquam aggreditur, aut vulgarem, sive de tempore, sive de specie [11] disserit, aut magis singularem, scilicet cum de humani generis [12] progressu disputat, non scriptorem aliquem alienum auctorem sibi assumere. Videtur quidem, ut pueri, sic et ipse velle alterius dextram sibi semper ducem viae esse. Quin etiam saepe et plurium dextris incumbit : raro una citatione gaudet : repetitis citationibus [13] gaudet. Cum igitur memoriae suae egregiam fidelitatem tam constanter ostendere curae habuerit, ejus tamen eruditionem

1. *De Nugis*, p. 206.
2. *Ibid.*, p. 143.
3. *Ibid.*, p. 36.
4. Horat., decem : p. 1, 5, 6, 57, 143 (*bis*), 146, 203, 243.
5. Psam., novem : p. 37, 47 (*bis*), 48, 50 (*bis*), 60, 279, 243.
6. Evang., octo : p. 320 (*bis*), 45, 47, 48 (*bis*), 50, 57.
7. Verg., septem : p. 2, 37 (*bis*), 44, 73, 146, 203, 243.
8. Script., quinque : p. 32, 33, 51, 56, 57.
9. Boet., quater : 1, 2, 238, 241; Luca., quater : 9, 39, 47 *bis*; Ovid., quater 16, 48, 194, 234; Juvenal., totidem : 25, 56, 57, 190.
10. Phaed., p. 244; Aul. Gell., 149; Terent., 13.
11. *Ibid.*, p. 1, 2.
12. *Ibid.*, p. 2.
13. Vide p. 1 (duae citationes), p. 2 (quatuor), p. 6 (duae), p. 9 (duae), etc.

et jucunda scripta laudibus maximis aequales ornaverint, fateamur necesse est omnibus eamdem hanc fuisse timiditatem, nec ausum esse quemquam alienam auctoritatem respuere, cum litteratissimo cuique visa sit immortalitatis memoria destinata, si quam plurimos se libros legisse ostenderet.

Quam omnia nunc mutata sunt! citationes nempe odimus, utpote quae saepe taedium afferant, raro novitatem ullam rebus addant. Nos etiam taederet, si librum *De Nugis* scriptum legeremus, obscuriorum ac longiorum Walterii dissertationum.

Nescit enim Walterius quid sit, sententiam quamdam ita excutere ut clare appareat ejus et vera species, et vis, et pondus. Nihil valet res ex ordine exprimere; nec si velit demonstrare Curiam contemnendam esse, dum multas sententias atque similitudines congeret, curabit quomodo inter se contineri possint : « Haec de Curiae quae videmus, ait, testamur. Absolutionem autem ignium, densitatem tenebrarum, fluminum foetorem, stridores a daemonibus magnum dentium, omnium viperarum et anguium et omnis reptilis tractus foedos, et rugitus impios, foetorem, planctum, et horrorem, per singulas, si per allegoriam aperire velim, in curialibus non desunt mihi significationes, sed longioris sunt temporis quam mihi vacare videam[1]. » Walterius, etsi de re concreta scribit, imaginibus tamen aut proprio ingenio suo inventis aut ab auctoribus alienis petitis implicatus atque impeditus est. Quanto ergo magis implicatus, quanto magis impeditus futurus est, si scribat de abstractis rebus. His autem diligenter abhorret, nec in libro suo *De Nugis* aliud quam ipsam descriptionem rerum facere unquam tentat. Quod si

1. *De Nugis*, p. 10.

tamen fit ut altius procedat, lente ac prudenter progreditur, breves sententiolas apponit, quae inter se aut bene aut male, saepius male, continentur; allegorias in modum argumentorum usurpat, nec rerum intima sed exteriora describit. Quod ut exemplo quodam clarius intellegas, memento locum hunc quo, cum velit Curiam habitantium curas ac miserias omnes denuntiare, antiquissimas fabulas memoria revocet : « Curiae Styx est odium nobis immotum ex nostro vel alieno vitio : Phlegethon, ardor cupiditatis et irae; Lethes oblivio beneficii creatoris et promissionis in baptismate datae; Cocytus, luctus ex nostris nobis inflictus excessibus... Acheron tristitia scilicet vel ex factis vel ex dictis poenitentia vel ex cupitis et non assecutis; flagitiorum aut flagella poenarumve passiones hic assignare possumus si fas est[1]. » Walterius autem, cum nullam scribendi viam atque rationem certam sequatur, nec res brevi atque acri sententia concludit, nec tempore consistit. Ut enim navis, nullo regente, huc aut illuc, ut fors voluit, provolvitur; ac, ubi placuerit locus, ibi moratur. Gratis sibi rebus, si quae successerint, moderate uti nequit : sed longius indulget brevitatisque meritum minimi facit. Cum igitur locum hunc Scripturae commemorat, quo videmus Deum Davidemque regem atque Davidis socios punivisse, quod sibi laudi dederint impertitam a Deo victoriam, his Walterius Davidem admonentis et objurgantis Domini moderatum animum laudat : « Castigatio fuit, non ultio, quae superbiam humiliavit, quae non hostium fecit victoriam, non inimicorum extulit laudes, non civium excitavit invidiam, non verecundiam laesit, non inflexit dedecus, non residuitatem abstulit; quae modum habuit, quae direxit regem, quae

1. *De Nugis*, p. 238, 239.

populum pro parte servavit seminarium; haec patrem sentire dedit, non hostem, virgam, non gladium. » Noli tamen credere his contentum Walterium jam tacere; nihil novi jam rei addit; prosequitur tamen, et : « Non fuit ibi rerum, ait, vastatio vel possessionis alienatio, nec est translatum imperium; archa resedit, sacra manserunt, residuisque securitas, mortuos numeraverunt, planxerunt, sepelierunt; felici gavisi sunt infelicitatis exitu [1]. » Plurima etiam addit : sed lectori parcere decet. Ex his tamen facile intelligi potest quam longe in rebus saepe immoretur Walterius, si placuerint [2]. Cum autem non tantum rei cuidam a ceteris separatae, sed omni alicui fabulae indulget, quanto etiam atque etiam longius tardet, lector jam ex his perspicit : utinam paulisper festinaverit : nec etiam scriptorum ejus esset tanta obscuritas nec tantum taedium.

At brevitatem sententiarum in scribendo non assequitur, nisi qui jam maturi ingenii est; Walterius autem Mappius juvenum simplicitatem atque facundiam nunquam exuit : quod non deplorare oporteret si ut vitia, sic et virtutes juventutis induisset. Deest autem libro *De Nugis* assueta illa juventuti virtus, vitae vividus calor. Saepe contrario apparet, dum gaudet facilioribus dissertationibus Walterius, dum diversitate non gaudet, praematura quaedam senectutis tarditas.

Vitae ad imitationem videtur vere compositus liber esse, si illud legenti manifestum sit, et voluisse scriptorem aliquid creare, et vere creasse. Cum autem scriptor aliquis, infelicem quamdam ubertatem in facilioribus dissertationibus effundit, fatigatus saepe qui legit machinas illas sibi in mentem revocat, quarum rustici brachiis suis rotam revol-

1. *De Nugis*, p. 24.
2. *Ibid.*, p. 21. Q., p. 161, 163.

vunt, ut ejiciantur in campum intermortua gramina atque festucae. Fatigat Walterius lectorem, quoties a rebus ipsis ad commentationem de rebus aliquam transit : nec enim temperantiae jam memor est. Quod si aut de avaritia hominum queritur aut eos increpat quorum tristior animus omnia secus habere contendat, jam non a periodis temperat. Unum hoc exemplum proponemus aut, si ita dici magis libeat, imponemus lectori. « Nobis nostra, ait, viluerunt tempora, quasi ferrea ; placuerunt antiqua velut auro lucentia : historias ab initio ad nos usque deductas habemus, fabulas etiam legimus, et quo placere debeant intellectu mystico novimus. Attende Cain invidum, Gomorrae cives et Sodomae, non unum dico, sed ad unum omnis luxurii perfluidos, Joseph venditum, Pharaonem per tot punitum plagas... Nec satis ; at « superbiam Datan protervitatem Zambri »[1] addit. Scripturae monstra omnia citat, Achitopel et Nabal, et ceteros, nullam antiquarum fabularum, ab Atiaca ad Pelopem, omittit. Vix demonstravit non magis praeteritum quam praesens tempus caruisse sceleribus ac miseriis : in quaestionem novam illam aggreditur, haud certe magis singularem : quod saepe voluerint historiarum scriptores, dum fabulas historiis suis insererent, ad mores hominum emendandos utiles esse[2]. At, ne lectorem nostrum fatigemus, praetermittemus periodam illam, qua Walterius primas juventutis disciplinas, dum se ad scribendum informaret, non satis oblitus esse videatur.

Nec tamen satis id esset, si eas esset oblitus : nam, cum nec materia satis solida fuerit nutritus, nec ullius vehementis vis impetu impulsus, quomodo fieri potuit ut non saepe jejunior, saepiusque in judiciis magis dubius videretur? Atque etiam illud adjungemus rarius eum aliquid creavisse : mentis

1. *De Nugis*, p. 65.
2. *Ibid.*, p. 66. Q., p. 46.

siccitate atque egestate aequalibus suis praestantissimis maxime impar est.

Nihil est in libro *De Nugis* quod non e memoria extraxerit : nullas res ex nihilo evocare, quod proprie creare est, valet. Quin etiam, si quem virum forte e memoria revocaverit, non satis hunc vitae quadam simulatione insignem reddere sciet; scilicet cum de Henrico secundo res agitur; vult Walterius ejus figuram delineare; at nihil aliud facit quam memorata in longioribus chartis congerere et observatas indolis notas : haec autem ita inter se componere ut vera vivum Henricum nobis restituant, Walterius nescit[1]. Quod si jam narrata, quod saepe fit, iterum narret[2], non iterum narrata a prius narratis novitate ulla differunt : nec enim mente sua satis viget Walterius ad renovandam materiam suam.

Cui tamen, cum defuerunt maturae aetatis vigor et juvenum impetus, non virtus illa defuit, quam satis constat et in senibus et in juvenibus insitam esse, narrandi artem dico. Senes enim jam ingravescentis aetatis tristitiam ac multa expertae indulgentiam, juvenes ardorem suum credulamque rerum inscitiam, dum narrant, narratis accommodant. Quae omnia num Walterius usurpaverit in hoc *De Nugis* libro, quem in regis curia initum, saepe interruptum, saepe ex oblivione repetitum, vel inter legationem quamdam vel inter itinera alia, dum judex provincias Walterius perlustraret, sub Westburae arboribus aut in primis Oxoniae claustris absolutum esse scimus, nunc id nobis inquirendum est.

Jam Walterium vidimus saepe et in maximis rebus dum viveret, versatum fuisse, et praestantissimorum hujus temporis hominum societate usum esse; renovationis illius, quae

1. *De Nugis*, p. 227.
2. Q. *ibid.*, III, cap. 2, cap. 3. *Ibid.*, IV, cap. 7; I, c. 14. *Ibid.*, IV, cap. 7; II, c. 13. *Ibid.*, IV, cap. 10; II, c. 13.

mores, rem publicam, religionem duodecimo saeculo attigit, jam in Walterii et moribus et cogitationibus, prima indicia observavimus : nunc ad rem pertinet et in ipso *De Nugis* libro haec omnia agnoscere : cui rei dum studebimus, forsitan et clariore luce illustrentur opera illa obscura quae Walterio attribuuntur.

CAPUT III

De Walterio Mappio fabulosarum narrationum scriptore

§ I. — Utrum liber *De Nugis* sit vere Mappii opus? — De proposito quod persecutus est, intendens facere opus moribus utile. — Constat liber e narratiunculis ad diversa tempora spectantibus, et diversae originis : aliae ad historiam attinent, aliae ad litteras, aliae ad tradita in pago Wallensi.

§ II. — Quanti momenti sit in historia liber *De Nugis*. — Gravia de rebus, de personis, de moribus praesertim indicia in eo referuntur. — De belli amore, de fide christiana apud Anglo-Normannos, duodecimo saeculo, Walterio Mappio auctore. — Paucissimi sunt qui litteris excolantur. — Equitum disciplina mores paulo in melius mutati sunt. — De reverentia erga mulieres. Fides quam tenax propositi fuerit. De Caritate in proximum. — Mitigata morum asperitas saepe revolvitur ad pristinam ferociam.

§ III. — Quanti momenti sit in litteris liber *De Nugis*. — Nullo apparatu Mappius scripsit. — Vitia operis plus nocent, si de litteris agatur. — 1° Quid sentiendum de fabulosis narrationibus quae suum locum habent in libro. — Quaenam sint, quo spectent, quibus dotibus commendentur; quanta sit alacritas in colloquiis; quae praecepta de moribus tradantur? — In depictis effigiebus nihil eminet; ratio componendi semper est eadem. — Quomodo digrediatur auctor a proposito, et in quaestiones generales abeat. — 2° Quid de stylo? Sermo expeditus est, sed saepe prave facundus et nimis exquisitus. — Quod ad grammaticam pertinet, Walterius Mappius parum curat de legibus et de insignibus notis latinae linguae. — Latina lingua jam implevit sua fata; oportet altera in locum illius succedat.

§ IV. — De traditis apud Wallenses. — Perspicuum est, ex libro

De Nugis, fore ut patrius sermo brevi gentibus illucescat. In eo apparent propriae anglici ingenii notae, et dotes quibus enitet Walterius ut fabularum scriptor, in clariorem lucem proferuntur. — Omnibus fabulis de mulieribus quanta vis poetica insit; quantum commoveant.

§ V. — Cum Walterius sit narrator fabularum ingeniosus, possunt ne illi tribui una aut plures e fabulis de Tabula Rotunda? 1° Quanta luce hanc quaestionem illustret liber *De Nugis*. — Quaenam sint, aestimanti res in universum, argumenta ad probandum et ad negandum? — 2° Argumenta ex historia, ex litteris sumpta; aequalium testimonia e quibus erui possit, non quidem *Magnum Sanctum Graalum* et *Inquisitionem de Sancto Graalo* a Mappio condita, sed materiam ab eo paratam fuisse. — Quaedam objiciuntur. — Conclusio. — 3° Ejusdem generis argumenta et testimonia idem probant, quod attinet ad Lancellotum de Lacu. — Conclusio. — De propriis hujus libri notis.

I

Non quidem consenserunt auctores, orta quaestione utrum satirica carmina, a pluribus saeculis Walterii Mappii opus habita, vere illius essent, utrum etiam sibi vindicare possit partem aliquam fabulosarum narrationum « de Tabula Rotunda », sed, ex omnium sententia, liber cui titulus *De Nugis curialium*, tum sine dubio a Walterio scriptus est [1], tum documenta praebet unde, et cujus esset ingenii, et quantum

1. De auctore unius tantum e diversis libri partibus controversia orta est. *Epistola ad Valerium de conjuge non ducenda* (initio praecedentis capitis notavimus quam famosa et quam diu fuerit) a Francisco Michel Valerio Maximo adscripta est, sed propter dicendi formam, patet isti opinioni nullum esse fundamentum. In *Patrologia latina*, Migne S. Hieronymum auctorem esse hujus epistolae asserit, sed aliter Hieronymi, aliter Mappii scripta sonant. Skeat, in *Legends of good Women*, p. 140; Langlois, in celebri disquisitione *De Origine et fontibus Libri de Rosa dicti*, p. 140, rem in medio relinquunt. Sed contra, Wright, Brunet in disputatione de origine narrationis LV, apud *Violarium historiarum Romanarum* (Parisiis, 1858), G. Paris, in *Romania*, XIX, p. 624, traditioni consentientes, Mappium esse auctorem epistolae affirmant. Nulla alia valet opinio, nostra saltem sententia, si modo ad ea attendimus quae Mappius ipse, in suo libro, expressis verbis asseruit. Hoc habent veri contrariae argumentationes, quod Walterius Mappius fortasse desumpsit epistolae materiam e libro qui, si Joanni Saresburensi credere fas est, a S. Hieronymo vocatur *Aureolus liber de nuptiis*. — « Fatur, auctore Hieronymo, Theophrasti aureolus liber de nuptiis, in quo quaerit an vir sapiens ducat uxorem. »

auctoritatis apud suos habuerit, judicare liceat. Nihil autem melius quam titulus ipse, quo liber pertineat, dat intelligendum; etenim nugas illius, quae apud reges agitur, vitae narrare, aut, si mavis « notare incidentia [1] », ut ipse ait, quorum testis fuit litteris vel publicis rebus operam dando, hoc ante omnia propositum persecutus est, dum, Henrico secundo jubente [2], sine ordine scribit. Alterum tamen etiam gestit assequi, scilicet illi nihil antiquius est quam ut historicus et vivendi praeceptor esse videatur. Nihil attente legitur, nihil eloquenter narratur, nisi quod versatur circa praeteritorum temporum laudes : quidquid vero ad aetatem nostram attinet, fastiditur et silentio praetermittitur. Ea est Walterii sententia, qui his verbis queritur : « Quis audeat quicquam, quod hodie fiat, impaginare, aut vel nomina nostra scribere? Certe si Henricum, vel Gauterum, vel etiam tuum ipsius nomen aliquis novus character subnotatum praestiterit, vilependis et rides, at non eorum vitio, et utinam non tuo! Quod si Hannibalem, vel Menestratem, vel aliquod priscae suavitatis nomen inspexeris, erigis animum, et praementita aureae aetatis saecula ingressurus gestis et exsultas [3]. » Attamen, sive animo obsequuntur, sive nolunt pravae consuetudini obstare, dubitant ea narrare quae habent « forsitan aliquid Sophoclis cothurno non indignum [4] ». Walterius autem, cum in mente habeat in lucem id proferre quod proprium sui saeculi ingenium detegat, a proposito nunquam deterrebitur : « Nobilis et studiosi viri, inquit, triumphalis est instantia, quem a studio non deterrent tussis aut tisis, aut aliae qualescumque inaequalitates; angustiato corpori sollicitudine martyrium adsciscit [5] ». Nec

1. *De Nugis*, p. 142.
2. *Ibid.*, p. 140 : « Domini mei praeceptis obsequi conatus ».
3. *Ibid.*, p. 196.
4. *Ibid.*, p. 195.
5. *Ibid.*, p. 197.

sane meditatur opus exigere in quo nihil nisi ad litteras pertineat, cum mediocris ingenii conscius sit [1], sed totis viribus eniti ut verum latius pateat, ut bonum latius diffundatur, et quia saepius affirmat sibi insitum esse animo non tantum summa diligentia res narrandas perpendere [2], sed etiam ut levis fabula in grave praeceptum desinat [3], propter hujusmodi religionem nobis veneratio ne vidignissimusdetur.

Inde fit ut inter se cohaereant et quasi aliquid unum appareant fabellae e quibus constat liber *De Nugis*. In plurima autem capita duplici de causa dividitur, scilicet temporibus diversis scriptus est, et multis e fontibus emanat. Ante omnia, si quis haec excerpta satis diligenter legerit, sensim crevisse perspectum habebit. In primo enim volumine [4] coeptae a Saladino Hierosolymae, tanquam recentis eventus, mentionem facit (1187); in quarto, tum Lucium Papam in locum Alexandri tertii modo successisse [5] (1182), tum se natali die sancti Barnabae scribere [6], qua defunctus est rex Henricus adhuc juvenis (XI° junii 1182); in uno denique capite ultimi voluminis [7], primum Henrici secundi mortem, deinde ea quae in Palestina Ricardo, cui *Cor Leonis* cognomen erat, evenerunt, commemorat; postea Henrici secundi mores effingit et ipsa totius orationis compage, et praesenti, quo utitur, tempore innuens ipsum adhuc vivere, cum scribit. Si parum conveniunt, secundum tempora, diversae partes, ex hoc facile intelligitur quod minus diligenter in unum collecta sunt varia fragmenta libri « quem, ut ait auctor, in curia regis Henrici raptim annotavi et a corde

1. *De Nugis*, p. 107.
2. *Ibid.*, p. 57, 212.
3. *Ibid.*, p. 19, 123.
4. Dist. I^a^, cap. 15.
5. Dist. II^a^, cap. 2.
6. *Ibid.*, cap. 1.
7. Dist. V^a^, cap. 2.

meo violenter extorsi » [1], sed hoc vitium certi minus habet momenti quam plurimi fontes e quibus hausit Walterius libri materiam.

Narrat ille primum ea quae vidit, quomodo apud Henricum secundum vixerit, commoratus sit in monasteriis, Britanniam obambulaverit, et sic de regia [2], de monachorum ordinibus [3], de errabundis viatoribus [4], de judicibus imagine verissima multa refert. Cum per Italiam, per Galliam iter fecerit, amplam factorum segetem congessit, quorum praecipua indicavimus et quibus addere decet tum unam aut alteram narrationem ad commovendos animos aptissimam [5], tum de Gerberto, postea Papa, nonnulla memoria dignissima [6].

Narrat etiam quidquid audivit, scilicet tradita variis in locis, praesertim in pago Wallensi, et diligentissima cura conquisita [7] ; sermones modo cum insignibus viris, modo cum peregrinatoribus e longinquo redeuntibus, non semel etiam cum equitibus e Templo dictis habitos [8]; dicta e solis regionibus ad caelum Angliae nebulis foedum per orbem circumlata [9], siquid quod admirationem aut misericordiam commoneat, ad auctorem pervenerit, hoc in libro *De Nugis* invenies.

Sed ea quae legit, referre non omittit; minime tamen studet omnia quae didicit, quasi per ordinem proponere; quoties vero, dum antiqua rerum saxonicarum exemplaria [10], dum

1. *De Nugis*, p. 140.
2. *Ibid.*, Dist. I[a], cap. 1, 2.
3. *Ibid.*, cap. 12, 14, 16, 24, etc.
4. *Ibid.*, cap. 29.
5. Facinus patratum apud Italos : Dist. IV[a], cap. 1; apud Lusitanos : Dist. I[a], cap. 12.
6. Dist. IV[a], cap. 2.
7. Dist. II[a], de nono capite ad vigesimum secundum.
8. Dist. I[a], de cap. duodevigesimo ad vigesimum.
9. Dist. I[a], cap. 21.
10. Dist. V[a], cap. 3.

severas paginas libri ad fovendam pietatem scripti [1], dum ludicra medii aevi mendacia versat [2], aliquid ad delectationem aptum vel quod moribus prodesse queat, invenit, id posteris tradendum quamprimum curat [3]. Commentitias denique fabulas, quas ipse totas excogitavit : in iis quid ad morum regulam spectet aliquando non satis intelligitur, at saltem verisimile est eas plurimum adjuvisse ut Henricus secundus vespertinas horas falleret.

Inde apparet non potuisse ex istis aliquid simplex et unum fieri. Licet nihilominus totam rerum seriem in duo genera distribuere, quorum alterum vera continet et eam jucunditatem affert, quam ex historia percipimus; alterum circa litteras proprie versatur et praecepta de moribus tradit. Seorsum utrumque persequemur, seponentes, ut illuc postea redeamus, Wallenses fabulas et si quid ad id pertineat.

II

Nemo negare possit, nemo negat librum *De Nugis* plurimum valere in historia, etenim indicia quaedam, ad hoc tempus inaudita, et de rebus et de personis a Walterio accepimus. Accidit quidem saepius ut vulgata apud Saxones et Normannos documenta [4] mera imitatione redderet; rursus autem quaedam, nondum in libris relata, et sane non nullius momenti, nota fecit nobis, seu de Carthusianorum originibus [5], seu de initiis ordinis Templariorum [6] et in dies crescentibus eorum divitiis [7]. Sed, ante omnia, plures aetatis

1. Dist. IV^a, cap. 15, *Acta sanctorum*.
2. Dist. IV^a, cap. 6. Dist. I^a, pag. 138. Dist. II^a, cap. 29. Fabula de Turpino.
3. Dist. I^a, cap. 21 et 22. *Well of Tyre Hist.* Lib. 18, 19, 20, 31.
4. Vide, exempli gratia, p. 79 et 99; praeterea id quod de Godwino narratur.
5. *De Nugis*, p. 27.
6. *Ibid.*, p. 29.
7. *Ibid.* Dist. III^a, cap. 3 et 4.

suae viros, effigie de vivo resecta, novo lumine illustravit.

In capite praecedenti quantum decoris regiis imaginibus Henrici secundi, Ludovici septimi, Theobaldi quarti addiderit ostendimus. Non minus eminet in eodem opere Dux Britanniae, Guillelmi Angliae domitoris gener[1], non minus Guillelmus secundus et Henricus primus[2], illius nepotes. De quibusdam ecclesiasticis viris, seu antiquioribus, seu aequalibus, nos Walterius aliquid edocuit[3], sed in vita Foliot[4] et Silvestri secundi diutius immoratur.

Haec omnia etiam in breve cogere non possumus, neque, vel summatim, referre quo aestu Silvester secundus, adhuc juvenis, animi affectuum exarserit, et quomodo generosus impetus futuram illi magnitudinem portenderit. Historicorum est has paginas percurrere, illorum praesertim qui duodecimo saeculo impensam dant operam, ut res ex ipso fonte repetant.

Velimus tamen (neque transgrediemur hujus nostri operis limites), in brevi quasi tabella totam illius aetatis imaginem amplecti. Multum autem proderit Walterii liber; et, cum senserimus quanto furore homines in bella ruerent, quam hebeti laborarent religionis sensu, quam efferata esset ista propago amorum immanitate, aegre leniente animos christianorum equitum militia quae jam in deterius lapsa fuerat, dilucidius apparebit eorum virtus qui, Walterii instar, ita exuerunt saeculi sui mores ut aut generosam vocem proferre aut sententiam dignitate plenam scribere auderent.

Cum equites duo internecivum bellum inter se gererent, intervenienti Galliae rege foedus ictum est matrimonio sancitum, quippe alter alterius gener ideoque haeres factus est.

1. *De Nugis*, p. 182.
2. *Ibid.*, p. 81, 170, 209.
3. Episcopus Lincoln., p. 7. — Bartolomoeus, episc. Exeteriensis, p. 20. — Archiep. Baldwinus, p. 20.
4. *De Nugis*, p. 19, 42, 103, 170.

Hic, paulo post, dum ludit cum uxore latrunculis, avocatus in opus magis serium, uni e suis partes suas suscipiendi curam commisit. « Cum ergo (haec Walterius) domina vicisset, ait militi secum ludenti : « Non tibi, sed orbi filio *mat* ». Quod improperium[1] cum aequanimiter ferre non posset, gener soceri agros invadit, instat vestigiis; e loco sancto, in quem confugerat, miserum detrahit », et coram ecclesia genitalibus privat et oculis, ablatis secum in manica sinistra oculis et genitalibus, celato et facto et proposito, facie hilari et jocosa, demum reversus cum uxore considet ad scaccos, et, obtento ludo, super scaccarium genitalia et oculos projicit, dicens quod ab ipsa didicerat : « Filiae orbi dico *mat*[2] ». Si quis contumeliosam vocem dixisset, si quid inconsulto gestu peccasset, ut illi accidit qui vas lactis, mensae discumbens, in proxime sedentis humeros effunderet[3], statim robusta fervidaque corpora, statim atroces et saevi animi magno indomiti furoris aestu fluctuant. Illi semper in promptu gladios habent ; illos juvat bellorum imago ; in sermones quotidie recurrit rerum gestarum memoria ; nihil acrius student quam horrendae bellorum clades. Qui iter suscipit, arma semper habet parata, ne quis aggrediatur[4] ; qui pugnat, hostes, ut decet, opprimere totis viribus conatur[5] ; qui ultionem ab inimico repetit, poenam isti jure merito quamlibet, vel exquisita supplicia irrogat, ut amputare genitalia, fodere oculos, Mappio teste, et in Normannia, et in Lusitania, et in Wallensi pago[6] egregium ante alia facinus esse videatur, etenim serviebat necessitati, legitimae parebat superbiae, voluptate fruebatur qui bellorum amori indulgebat.

1. Sic in Wright editione.
2. *De Nugis*, p. 186.
3. *Ibid.*, p. 188.
4. *Ibid.*, p. 180.
5. *Ibid.*, p. 189.
6. *Ibid.*, p. 19, 186, etc.

Rectius illud intelligetur, si duorum militum, tum habitu, tum victu maxime dissimilium, effigies a Mappio depictas inspexerimus. Unus, mature calvus, unde illi cognomen « Episcopi », loricam equitum induerat, et nebulosae Scotiae colles incolebat; alter, crasso et pingui corpore, monachorum more vestitus, in Normannia viridibus pratis decora sedem posuerat : uterque impavidus qui, lacessente adversario, se fuga nullo modo subduceret. Quorum prior, Gillescop nomine, « a juventute in senium felicis fuit homo audaciae, cui nunquam temeraria praesumptio noverca est, cum in omne periculum quasi caecus irruerit, et raro vel nunquam tanta protervitati sint negati successus ». Adhuc juvenis erat, cum rex quarumdam insularum, ex iis quibus proxima Scotiae littora consita sunt, suam illi amicam abstulit. Inde tantum furorem animo concepit « ut, inconsultis amicis, non exspectata vel expetita nave, inermis, excepto gladio, braccis in sella fixis, caetera nudus, auderet pontum aggredi; se ipso usus clavo, remige et velo, idem navis et rector ejus ». Cum fretum transnatasset, ruit in littus, et ad raptoris aedes. Tum « introspiciens, inter trecentos aut plures convivas amicam suam amplexibus regis haerentem videt ». Statim ingressus praeceps in regem fertur, quo occiso, fuga se proripit, mare invadit, et « per medium aequoris, gladium in manu cruentum tenens, natatu saluti consulit, instar apri quem canes oblatrant eminus, quos a congressu volucrum arcet timor et a coepto desistere rancor animi non permittit ».

Postea, in ipso aetatis robore, cum idem Gillescop quadam die rediret a proelio, vulneratus quidem, sed victor, cura spolia colligendi suis relicta, domum redire festinabat. Tum impetus in eum fit a tribus latronibus qui in extrema silva nulla arma praeter lanceam habentem observabant. Hic hasta, ille lancea, tertius sagittis praetereuntem impetunt.

« Primum in adventu lancea suscipit transfossum in cor, et sua sinistra lanceam ipsius avertit, et suam extrahens recipit secundum per medium inguinis; tertius ipsum titubantem repperit, et parvipendens amplexatus est eum quasi eligens hosti pro voto mortem. Ille autem impiger ei abscondit interim cnipulum sub pectore, et ab ipso alium suscepit cnipulum per medium scapularum. Occumbunt ergo quatuor, sed ipse solus evasit [1]. » Senex factus cum in proelium ire non amplius posset, hoc solatio utebatur quod regi suo litteris victoriam portendebat. Qui semper vixerat ut bellaret, inter bellandum mori praeoptasset.

Procul dubio ille eamdem quam Cisterciensis monachus, de quo Walterius, sortem experiri vehementer cupiisset. Ille monachus servandam possessionum integritatem filio commiserat; ipse autem, orans et corpus castigans, proeliorum tumultum jam non meminerat. Quadam die, cum vexatum, victum, spoliatum ab hoste filium audivisset, monasterii superiorem deprecatur ut sibi iterum arma induere et proeliari liceat. Concessa licentia, « quasi redivivo furore succensus acerbior involabat in hostes, et, sive fugerent, sive resisterent, eis indefessus adhaerebat ut glutinum, et, cum numerosa manu sperassent hostes opprimere, fortitudine, non multitudine vinci didicerunt. Ille inimicorum in medio, turbinis instar in pulvere, quasi tempestas desaeviens, dispergit hostes, et tanta virtute stupidas reddit ut in sola videant salutem fuga [2] ». Cum vero, victoriam anhelans, a pulvere et sole in vineam arboribus obtectam recessisset, ibique, depositis armis et lorica, fesso corpore, quieti indulgeret, ex hostibus unus obrepens eum lethali vulnere conficit. Advocato statim armigero, plena voce miser peccata confitetur, efflagitans ut

1. *De Nugis*, p. 93.
2. *Ibid.*, p. 21.

jamjam moriturum absolvat. — « Nequeo », ait puer. — Sed ille instando : « Impinge mihi per misericordiam Dei, carissime fili, ut in nomine Jesu-Christi sit in infermo anima mea poenitentiam agens usque in diem judicii, ut tunc misereatur mei Dominus, ne cum impiis vultum furoris et irae videam. » Tandem paret puer, et peccata Dei nomine dimittit petenti qui extremum spiritum effundit. Haec Mappius in fine : « In memoriam revocentur verba misericordiae, quae ait : in quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit. » Num auctor inter peccata furores belli annumerabat? Vix sperare possumus, etenim illi difficillimum erat, quorum aequalium describit mores, horum naturam et ingenium vituperare.

Hujus modi viris sive equitibus, sive clericis laicorum mores singularem in modum referentibus ad aras a ludicris certaminibus, ut orarent, currere solitis, maximam operis sui partem dicat Walterius, dum semel aut iterum tantum, et quidem breviter, de aliis quibus errabundus occurrit, sermonem habet. Sed ea quae vocatur « pietas », vitiata superstitione, quam stupendum nobis spectaculum praebet! In Walterii libro nonnunquam sincero religionis sensu tangimur, saepius autem iis offendimur quae aut indecorum candorem animi, aut saevam morum asperitatem redolent. Non tamen affirmare intendimus idem in omnibus extitisse, nec viros vere christianos, qui sibi nomen immortale pepererunt, praetermittimus, sed, quo tempore Mappius vixit, religiosa fides nulli Scripturarum notitiae, tanquam fundamento, innixa erat, neque animus humanus sibi novas quasdam fingebat imagines, ut ea aetate videmus in Gallia, in Italia accidisse. Normanni isti et Saxones cum politioribus ingeniis conversando vix crapulam excusserant, ut, ipsorum animis insita adhuc foret paganorun rituum memoria, nec ii prorsus erant quorum mentes commoverentur, veluti

Gallorum, apud quos haereses et monochorum coetus increscebant; veluti Italorum, in quorum ubere pictura nasci incipiebat. Ut ait latinus poeta :

> Primus in orbe Deos fecit timor, ardua coelo
> Fulmina cum caderent.

Scilicet, circa castella hujus regionis, in caliginoso nubibus coelo, nescio quae species adumbrabantur, in spatiosis aedibus camera contectis venti horrendum deproeliabantur; vespertinis horis, ante focum ingentem (quippe recens erat apud Anglos caminorum usus), per ambages multas arcana quaedam a patribus tradita narrabantur. Nihil non divinitus ortum, nihil miraculo invium esse judicabant.

Etenim pro certo habebant Guillelmum Angliae secundum regem, pridie ejus diei quo interfectus est, mirabiles species somniorum vidisse, quorum habuit interpretem monachum quemdam, ita ut quidquid accidit in morte, in minimis rerum adjunctis fuerit praenuntiatum [1]; pro certo etiam Foliot non potuisse liberari a nocturno visu hominis aeternis suppliciis cruciati, nisi jubendo corpus ejus a sepulchro erui et caput amputari [2]; pro certo denique Rogerium episcopum, comitis Glocestriensis filium, non aliam invenisse viam defuncto cuidam noctes diesque misere errabundo, pacem et quietem reddendi, quam cruce lapidea in illius tumulo imposita; tum vero umbram sub pavimento recubuisse somnisque recepisse intermissum [3]. Si quando malunt prolixius aliquid narrari, haec de pio Hamerico, equite Northumbriensi referuntur. Cum eques quidam vespere, circa decimam horam, in sua domo versaretur (erat autem aestas), umbram patris multos annos defuncti vidit ante oculos surgere, quae, lacerato cilicio involuta, ea

1. *De Nugis*, p. 222.
2. Dist. II[a], cap. 27.
3. *Ibid.*, cap. 28.

verba protulit : « Carissime fili, ne timeas, quia pater tuus sum, et nihil tibi sinistrum affero, sed sacerdotem advoca ut videas causam adventus mei. » Statim paruit filius, et, vocato cum pluribus amicis sacerdote, pater iterum stare visus est : « Miser ego sum, inquit, quem tu dudum pro decimarum injusta retentione innominatum in turba cum aliis excommunicasti, sed in tantum mihi per gratiam Dei communes Ecclesiae orationes et eleemosynae fidelium profuerunt, ut mihi liceat absolutionem petere. » Absolutus igitur, cum magna multorum processione usque ad foveam veniens incidit, quae sponte super eum clausa est[1]. »

De equite Hamerico res adhuc magis insolitae ferebantur, nec stupebant audientes, Walterio narrante. Cum ille ad ludicrum certamen, amicis comitantibus, iret, pulsatam hora missae campanam procul in agris audivit. Invitis repente amicis abit, et transversis itineribus per silvam cellam eremitae petit, ubi sacris ardenti pietatis affectu interest. Deinde, dum vult ad suos redire, itinere deerrat, et post tres dies tantum ab errato recedens, amicos reperit a ludis redeuntes, qui eum alacri animo accipiunt et summis laudibus prosequuntur. Quibus commotus Hamericus ab uno e carissimis sensum abducto quaerit ne ludi feliciter successerint. Cui ille : « Bene nobis et manu tua, sed inimicis male, qui tamen hodie reversi sunt ad nos ut te pro tuorum operum admiratione viderent, sed, ut heri recessimus ad hospitia, nemo nobis de te quicquam certitudinis dicere potuit : asserunt et armigeri tui quod, armis tuis a te receptis, ab oculis eorum evanuisti cum equo tuo. » Miratur ipse, nullius meriti conscientiam habens, et vix tandem advertit « quod dispensaverat ei Dominus vicarium, ne gaudere socii sui possent de missa despecta, vel ipse dolere de

1. *De Nugis*, p. 106.

respecta, deditque se cum omnibus quae possederat Deo domuique Templarium[1]. »

Quo vivebat Walterius tempore, Deus omnipotens se quotidianis miraculis agnoscendum praebebat, ut putabant, nec poterat quis efficacius quam corpus cruciando fidem suam testari. Reponere membra in cinere, cilicium induere non minus usitatum erat quam dicere « Pater noster » vel « Ave, Maria » pluries[2]. Ille ante alios apud cives in admiratione erat, ille rerum divinarum studio vehementissime ardere putabatur qui studebat imitari aut eremitam « qui catena stringitur ferrea tam longa ut protendi possit ad pedem septimum, malleum autem secum ferreum et paxillum semper gestat, quibus affirmat terrae catenam suam in sabbato, et intra modicos illos fines per hebdomadam orat totus in hymnis et laetitia, et nunquam querulus aut tristis, ibi comedens quod repperit[3] », aut monachum qui, « cum cuidam turpiter exulcerato levaret infirmo pedes, ad foeditatem nauseans, ipsam unde laverat eos aquam impiger hausit, ut viscera sua vinceret assuescere quod horrebant[4] ».

Religionis sensus tam asper in agendo, tam puerilis in credendo nequibat, ut jam diximus, satis habere momenti ut bellicosa haec ingenia mitescerent; ceterum ipse e rudibus animis, feroci indole aliquid capiebat, nedum ea regeret, et sagaces morum indagatores, ut Walterius, hominum genus corruptum querebantur, cum fidem christianam, non modo non purgatam, sed hujus aetatis vitiis infectam animadvertebant[5]. Quid enim valuisset contra nequitiam qua jam laborabat Anglia, duodecimo seculo,

1. *De Nugis*, p. 32.
2. *Ibid.*, p. 164.
3. *Ibid.*, p. 66.
4. *Ibid.*, p. 36.
5. *Ibid.*, p. 141.

tum quum proceres exercebant imperium? Num robur animi religione firmati? Minime : religio enim in superstitionem abierat, moribus in melius mutandis imparem. Num crescens studiorum amor? Sed non vigebat nisi in clericis qui seculares vocabantur[1], et nobili genere viri, teste ipso Mappio, filios suos liberalibus disciplinis instituere nequaquam decorum judicabant. In nihil igitur aliud animum intendere poterant reveraque intendebant nisi ut optimam equitis effigiem in se ad vivum repraesentarent.

Walterii etiam tempore, cum jam ita labefactaretur procerum imperium, ut meditantibus nobis recentior aetas primo tum ortu fulsisse videatur, adhuc sese perspicuam praebet virtus illa salutifera cujus ope seculum duodecimum, duabus notis insigne, videlicet bellorum amore et fide nimium credula, ad meliorem frugem se recepit. Quae autem in Walterii libro narrantur mire nos edocent, quid in disciplina morum sacra Equitum militia effecerit. Hinc in lucem profertur animorum generosa ferocia et strenua pietas, — e quibus constabant equiti vitae dignitas et decus —, quantum in mitigandis bellatorum ingeniis potuerint, religione parum proficiente. Eques, non tantum nomine, sed re, cujus praeclare facta Walterius tanquam exemplar civibus proponit, ille erat qui, ut datam fidem servaret, vitam ipsam in discrimen adducere sustinebat; qui pudori parcebat uxoris amici, voluptate pro nihilo habita; qui denique, ut se fidelem Christo testaretur, vel martyrium ferre paratus erat.

Cum Templarius quidam, virtute bellica et victoriis inclytus, a Sarracenis captus esset, illi, sumptis sagittis, equitem ad palum deligarunt. Proposita a rege praemia his qui destinatum locum ferirent, et corpus miseri telis impe-

1. *De Nugis*, p. 8.

tere coeperunt. Vulneribus confossus cum ille sine clamore, sine gemitu impavidus staret, dux Sarracenorum, tantam fortitudinem miratus, captivum e palo detrahi et plagis adhiberi medicamina jussit. Sanatum ad suos dimisit, ea conditione ut e Sarracenis militibus unum, sibi carissimum, et a Templariis captum, mutatis invicem officiis, reddendum pacto tempore curaret. Ingenti plausu omnium eques excipitur, sed, audita Sarraceni morte, fratres admonet sibi esse abeundum ut, die dicta, vinculis iterum oneretur. « Prohibent hoc fieri rex et totum universaliter regnum, et absolutum a patriarcha detinent, missas, eleemosynas, et quidquid ad hujusmodi redemptionem profuse promittentes. » Circa domum excubiae aguntur, ne promissis stare posset. Tum ille, vix animi compos, ad dolum confugit, se ab incepto desistere affirmat, sed « nocte sequenti viam arripit, properat totis viribus ne committatur obses amabilis, et pro tempore singulariter et in mense terribilis expectabatur a rege suo et ab ultoribus expetebatur. Cumque factus esset Rex clam in derisum, ut solent in delicto potentes, ipse causabatur obsidem, et circa vesperam diei et spei suscipit inspiratum peditem, ut profugum et festinatione defectum: vix loquitur, et, sicut loquitur veniamque exorat quod ipsi vota distulerit, mirantur omnes et miserentur, et ipse rex fide bona captivi sui placatus per gratiam Christi liberum dimisit[1]. »

Haec in Syria, sub ardenti Orientis sole acta erant, quae Mappius, a Templario quodam, praeclare gestis a fratribus superbiente, narrata retulit[2]. Post haec, non jam de fide data servataque sermonem habet, sed de uxoris alterius pudore non temerando, quae secunda est vere equitis nota, et intelligit legens quisque scriptorem aut propriis oculis

1. *De Nugis*, p. 30.
2. Sequntur haec historiam brevem fundatoris Templariorum.

vidisse, aut certiorem a teste aliquo factum esse [1], cum res in ipsa Anglia se habeat. Juvenis quidam, unius e proceribus famulus, uxorem famosi equitis perdite amabat, nec, quanquam multum et diu conatus, facere poterat ut intelligeret illa se amari, nedum ut redamaret. Ubi autem sensit nihil se, ut cor femineum tangeret, adhuc fuisse ausum, facinus facinore cumulare conatus est, scilicet quotidie armis exercebatur, venatu assiduo conspicuum se praebebat, et a ludicris certaminibus nunquam abstinebat. Cujus cum brevi fama crevisset, ipsius aemuli manu « cingulum militiae » accepit. Aliquanto post, novissime factus eques Rolloni uxorique in via occurrit, et omnibus modis tentavit ut amanti femina arrideret, sed impetrare non potuit, luctuque oppressus recessit. Interea Rollo, tanta animi aegritudine perculsus, uxori fatetur quanta admiratione juvenem, in quo virtus anteit annos, prosequatur. Secum tamen ipse quaerit quomodo fiat ut vir tot et tantis dotibus insignis, genere, forma, prospero consiliorum exitu, felicitatem assequi nondum potuerit. Non committit mulier ut Rolloni arcanum detegat, satis vero habet respondere se ab immodico longe abhorrere admirationis sensu. Nihilominus, vehementer commota laudibus a marito, quem impavidum bellatorem esse noverat, decantatis, aliter atque antea sentire coepit, et, juvenem amore captum magni faciens, tandem illi parem gratiam retulit. Tum, audacia usa nostris certe non indigna temporibus, amatorias litteras per nuncium ad juvenem misit, qui statim adfuit : « Ornatum igitur Veneri sibique thalamum arcanum, summa secuturi vota, subintrant, et inter eundum inquit illa : « Miraris forsitan, quae me tibi tam subito causa post tot et tam crudeles dederit negationes.

1. *De Nugis*, p. 135, 136.

Rollo causa fuit, nam famae non credideram, sed sua mihi, quem veracissimum novi, persuasit assertio te Apolline doctiorem, Jove leniorem, Marte leoniorem, pro tempore, loco et modo, nec est aliqua diis data, praeter aeternitatem, felicitas, quam tuis non adjunxerit laudibus. Credidi, fateor, et capta sum, et ecce tibi desideratas offero laeta delicias. » Et decumbit, et attrahit... » Sed juvenis, soluto brachiorum vinculo, tanta verecundia respondit ut certe risum his personis movisset, quas in libros — saltem in primos — induxit Paulus Bourget : « Nunquam a Reso Rolloni pro benignitate retribuetur injuria; inurbanum enim est ut ei thorum violem, quem mihi totus negavit orbis et ipse praestitit. »

In aliis locis Walterius ad idem propositum revertitur[1], quasi uxorem alterius non temerare fuisset, ipso judice, insignis ante alias ordinis equitum nota. Num apud Anglos proceres, qui tunc in capite hominum ubique dominabantur, sicut feminam colere, ita et revereri sibi honori jam ducebant, praesumentes animo id quod est decus hodiernae Angliae nobilissimum? Non equidem affirmare ausim. Sed praeter belli furores, praeter amantium ludos, christiana fides alte infixa animis haerebat, ita ut, eo tempore, sicuti nihil inter pugnandum reformidarent, etiam extrema pericula, sic, in tuenda fide, vitam ipsam in discrimen adducere non dubitarent. Gratum erat Walterio exempla referre a monasticis ordinibus data, qui, ut Carthusiani et Magni Montis monachi, medii aevi homines, naturae instinctu regi solitos, edocuerunt oportere christianum quemque, freno corpori imposito, totis viribus in eam curam incumbere ut coelestia meditetur[2]. Hoc illi erat in votis, ut sensu aliquo tam integrae religionis perfunderetur Equitis animus,

1. *De Nugis*, Dist. III^a^, cap. 2; *ibid.*, p. 168, 169.
2. *Ibid.*, p. 27, 28.

unde manarent virtus et laus quales exhibuerunt, ineunte ordine, Templarii, « dum Domini caritas et mundi vilitas inerat ». Quodam die, ne pluribus exemplis utamur, cum Templarius quidam a Sarracenis captus esset, « sagittabatur ut negaret. Quidam autem, qui negaverat, adstans improperabat ei quo stulte crederet, et ad singulos ictus aiebat : Est-ne bonum? Ille nihil contra. Cumque videret ejus constantiam, uno caput amputavit ictu, dicens : Est-ne bonum? Caput autem resectum cum proprio ore loquens intulit : Nunc bonum est[1]. »

Si equiti in Judaeam, ut mortem tam praeclaram oppetat, ire non licet, illi tamen pia vere christiani equitis officia, patria minime relicta, implere facile est, etenim in equite illo qui caritatem colebat, nihil jam desiderandum videbatur. Caritatem igitur, quo tempore rediviva iterum commorata est apud homines, summa veneratione prosequi nos decet, commotoque animo paginas legere in quibus Walterius nunc Ludovicum septimum et Theobaldum quartum ad pauperes et leprosos adeuntes depingit, nunc laudat, et equites qui ad mensam miseros admittunt, et dominas quae inopes invisunt iisque opitulantur. Tum primum intelligitur christianam religionem rudibus saevisque animis aliquantum misericordiae, aliquantum pietatis infundere potuisse.

Hujusmodi exemplar Mappius aequalibus proponebat imitandum, quod quidem, si fas est illi credere, ad effectum nonnulli plenius adduxerunt, multi vero ex parte tantum assecuti sunt, plurimi denique facile praetermittebant, ubi tum amoris, tum odii[2] vis colorem quasi in summa modo parte inductam delebat, ferocesque animos sinebat in praeceps ruere. Nec immerito, hujus libelli initio, curavimus ut

1. *De Nugis*, p. 31.
2. *Ibid.*, p. 17, 18. — Poenas dat adulter. — Mortuae feminae cadaver polluitur.

praemonitus lector a brevi et fugitiva duodecimi seculi Renovatione caveret, cum, in Anglia praesertim, neque mores in melius mutatos, neque mentibus novam lucem in perpetuum infusam esse significet. Ea quae Walterius de coetu sociali, qualem vidit apud Anglos Normannis mixtos vigere, nobis enarrat, quantumvis incomposita et subobscura, luctuosam hujus nostrae recentis aetatis originem modico quasi lumine illustrant, et hoc ipso in pretio sunt, quod ad historiam attinet. Licet in illo opere legens quisque parum roboris, parum etiam diligentiae sit inventurus, in aequales nostros minus severus fiet, plus indulgebit humano generi, majora de futuro sperabit.

III

Liber *De Nugis* majoris pretii in historia quam in litteris esse ducitur, cum ad hominum, rerum, morum notitiam multum conferat. Nec opus minutatim concisum, nec argumentorum varietas[1], nec parum congruens ratio temporum

1. In hunc fere modum distribui possunt narrationes : 1° Narrationes in quibus auctor historici partes agere videtur : *De aula regis Henrici secundi*, Dist. I^a^, de primo capite ad decimum. Dist. IV^a^, cap. 18. Dist. V^a^, cap. 7; *De coetu sociali apud Anglo-Normannos*. Dist. I^a^, cap. 12, 19, 24. Dist. IV^a^, cap. 15; *De quaestionibus ad Ecclesiam et ad religionem pertinentibus* : Dist. I^a^, de capite decimo tertio ad vigesimum; de vigesimo secundo ad trigesimum secundum. Dist. II^a^, de capite primo ad nonum; de vigesimo septimo ad trigesimum secundum. Dist. IV^a^, cap. 11; *De Chronicis anglo-saxonicis*. Dist. II^a^, cap. 17. Dist. V^a^, cap. 2, 3, 4; *De historia Orientalium populorum*. Dist. II^a^, cap. 18; *De Regibus illius temporis*. Dist. V^a^, cap. 5, 6; 2° Narrationes in quibus auctor litterati viri partes agere videtur : *Narrationes fabulosae*, in quibus res aguntur nunc apud regiones sine nomine (Dist. III^a^, cap. 2, 3, 5), nunc in Oriente (Dist. III^a^, cap. 4), nunc in Graecia (Dist. IV^a^, cap. 12), nunc in Italia (Dist. IV^a^, cap. 16); *Epistola ad Valerium de Conjuge non ducenda*; *Memoriale litterarum gallicarum* : Fabula de rege Offa et Dictum de paupere equite. Dist. IV^a^, cap. 6. Denique in tertio genere locum habent quae tradita erant apud Wallenses, in quibus proprium ingenium deprehenditur. Dist. II^a^, de nono capite ad decimum sextum; de vigesimo ad vigesimum tertium, cap. 26. Generatim loquendo, in prima et quinta Distinctione traduntur res historicae; in secunda, fabulae e pago Wallensi ortae; in tertia et quarta, commentitiae narrationes.

obstant quin historiam scribenti magno sit emolumento, sed multum obstant delectationi quam viris litteratis afferre posset. Nihil enim de pretio operis tantum detrahit quantum partes inter se parum concordes, cum auctoris propositum et insigne libri, quasi nube obducta, a lectore difficillime dignoscantur. Non relinquitur vestigium, nisi tenue; non imago, nisi incerta, ut viatoribus accidit qui, orta caligine, locorum aspectum male perspexerunt, et quibus tum ingentis saxi moles, tum immensa praecipitium altitudo per intervalla tantum sese visenda praebuerunt.

Si igitur Mappius nulla alia ratione nobis, ut scriptor, commendaretur quam quod librum *De Nugis* composuit, non esset profecto cur illi ignosceremus, sed res longe aliter se habet. Etenim, ut ostendere studebimus, alia quidem genera in litteris ille attigit, satiram scilicet et « de rebus gestis fabulas ». In iis vero, de quibus nunc quaestio est, ante omnia, ut ipse saepius dixit, officium historici implere conatus est. Utrumque memoria retinere non inutile erit, dum perpendemus quid sentiendum sit, et de fictis narrationibus, e quibus duae de quinque *Distinctionibus* omnino constant, et de scribendi arte, qua auctor libri *De Nugis* usus est.

Hae autem narrationes in tria genera distribui posse videntur. Primum quidem, ab aliis secernenda est *Epistola de conjuge non ducenda*, cum emunctae naris hominis sit tantum lepidus jocus[1]; postea, in unum conferemus capita in quibus satis habuit Walterius exscribere tum fabulam *de Herluino rege*, qui, cum pumilionum regem invisere in animum induxisset, nonnisi post ducentos annos domum reversus est, ita omnibus ignotus ut iterum abire coactus fuerit, totum circumierit orbem, et tandem in stagno

1. Dist. IVª, cap. 3.

demersus vitam finierit[1]; tum etiam fabulam *De Equite paupere* dictam, qui, ad extremam inopiam redactus, ut amissa bona recuperaret, a diabolo auxilium accipere non dubitavit, sed desperatione affectus quod neque poenitendo neque corpus castigando culparum veniam ab episcopo impetrare posset, se rogi flammis comburi passus est[2]. Tertium denique genus conflatur e narrationibus, in quibus Mappius sive confabulantium sermones amplificat, sive, ut homines ad bonam frugem se recipiant, narrat quid amantibus acciderit. Agit enim de duobus Italis mercatoribus, quorum unus ab altero, olim amicorum optimo, dum res domi angustae erant, indignum in modum decipitur; — de sutore quodam, regiae virginis amore insaniente, cujus mortuae sepulcrum cum violavisset, facie tanquam Gorgonis horrore perculsus, sceleris poenas dedit; — de Resi juvenili amore, qui, ne illum falleret cujus laudibus famam suam debebat, sensus animi repressit; — de cruento facinore quod in Oriente gestum est, et caede infidae uxoris conclusum, quoniam illa equitem maritum dereliquerat ut Sarracenum sequeretur; — de horrenda proditione amici, qui amicum, aeger ambitione et invidia, frustra conatus erat apud regem perdere, sublato prius patre illius cui diu Pylades fuerat; — de mirabili casu in quo eques, cum nollet uxoris sui amici amori cedere, insidias tandem ab ipsa paratas ut ulcisceretur, effugit[3].

Ex istis constat Walterii Mappii Decameron, Decameron vero cui nunquam fulgor solis illucescit, quod nunquam delicias vitae redolet. Statim intelligitur has paginas non scriptas fuisse in Fiesulani collis declivitate, unde Arnum licet despicere micantibus undis decorum, qui sibi lento gradu viam aperit per umbrosos et virides campos, domibus

1. Dist. I^a^, cap. 11. Paulin Paris, *Catalogus manuscr. gallic.*, I, p. 322. Le Roux de Lincy, *Liber Fabularum*, p. 148, 240.
2. Dist. III^a^, cap. 6.
3. Dist. IV^a^, cap. 16 et 12. Dist. III^a^, cap. 2, 3, 4, 5.

nivei, villis rosei coloris distinctos, altius sese erigente caerulea Apenninorum mole illustrata sole, dum valles argenteis maculis irradiat : scriptae autem sunt, nunc in concameratis obscurisque normannici castelli aedibus, nunc in monachi cella, a clerico, cui cordi erat suos et delectare, et reddere meliores, dum imber cadit densissimus, dum ingenti stridore ventus desaevit. Non tamen omnino arte carent; et — enim, si non exstant neque eminent effigies; si vix adumbratae sunt lineae; si, quoties a proposito digreditur auctor, semper in idem recidit, at saltem animose narrat, acriter colloquentes personas inducit, et ad mores intendit animum.

Quid de Italorum mercatorum amicitia evenerit amoenissime narrat Mappius, adeo alacri et facili calamo scripsit! Conjuncte viventes, opes ambo magnas congesserant. Ex quo autem divites facti sunt, alter alteram viam secutus est, nec jam eamdem urbem incoluerunt, abrupto foedere amicitiae. Negavit etiam Ollo se petenti Scevae daturum esse hospitium, causas praetexens necessitatem mercatus et instantem absentiam. At Sceva, nulla ratione habita, quomodo vitam Ollo degere soleat inquirit, et brevi pulsat ejus fores, deprecans ut sibi praebeatur hospitium. « Suscipitur, et non est passus ut contenta sit sua vel Ollonis familia hís quae reperiuntur in facultatibus domus. Cum multae sint extra, jubet quaeri delicias sibi, ut jactat, solitas, et tam splendidam tamque affluentem coenam praeparat de proprio, ut in admiratione etiam vicinorum veniat. Vocat in foro stantes, transeuntes retinet, et tantam effundit ciborum et potus copiam ut tam uxor Ollonis quam omnes alii sempiternam optent Ollonis absentiam et praesentiam Scevae[1]. » Tantae autem admirationi domus ipsa domina non resistit, et brevi amatus Sceva in thoro succedit Olloni. Quadam

1. *De Nugis*, p. 191.

nocte, hanc expergefactam sic alloquitur : « Carissima mihi electa et super animam meam dilecta, potes, si placeret menti, placare mentem sollicitissimam meam et totam tuis inflammatam amoribus, ut secure simul omnimodis de caetero convivamus, scilicet ut redeuntem non admittas Ollonem, sed quasi cum admiratione omnium eum diffitearis, et devoveas, et abneges te nosse hominem [1]. » Assentiente amica, ambo famulos praemonent qui promittunt, ubi primum Ollo fores pulsaverit, se illi semel et iterum responsuros verum Ollonem domi versari, ipsum autem esse latronem. Res ut convenerat se habuerunt. Etenim dominus rediens : « Nicolaum, quem janitorem suum fecerat, ex nomine superbe vocat. Adest ille, simulque tumore respondet : « Tu quis es? Quid furis? Quo agitaris daemone? Numquid lunaticus est [2], aut similiter amens? Certe, si desipis, sapere te jam faciemus. Si non quieveris, quiescere te fustes facient. » Tum iratus Ollo male precari Nicolao, furere et exclamare : « Serve nequam, numquid non ego sum Ollo, qui te constitui custodem curtis hujus? » — Nicolaus : « Pessime scurra, certe Ollo hic intus est, et cum domina in lecto decumbit. » — Ollo : « Cum qua domina, mea Biblide? » Tum janitor Biblidem suamque uxorem Christinam vocat in auxilium, et una voce omnes enituntur miserum convincere ipsum insanire. Spe igitur destitutus compellat vicinos, qui probris eum lacessunt; deinde a judicibus praesidium petit, qui dimissum irrident. Tandem ille, ab omnibus ludibrio habitus, a propriis servis expulsus, ab amicis nullam non passus contumeliam, nec jam sciens quo se vertat, Ticino discedit [3]. Nunc finem facit Walterius lepidae narrationi, postquam alacri ingenio res et personas depinxit.

1. *De Nugis*, p. 192.
2. Sic in Wright editione.
3. *De Nugis*, p. 194.

Iisdem etiamque magis conspicuis dotibus apud Mappium dialogus commendatur, quippe responsum responso succedit, alternae voces tanta celeritate implicantur ut fabulam comicam te legere putes, nec desunt in quibus auctor, res scenicas feliciter tractans, aliquid majus chronographo esse videtur. Ne plura, quam decet, proferamus, uno exemplo utemur. Regina quaedam in mariti sui commilitonem, nomine Sadium, amore vehementer exarserat. Cui in cubiculum vocato Putipharis uxor altera amorem detegit, orans ut par pari referat. Cum vero ille, quod Josepho profuit, pallium non haberet in promptu, ne amicum falleret, nullum alium invenit exitum, praeter mendacium : reginae ergo confessus est se, iniqua sorte coactum, mulierum commercio in perpetuum abstinere. Quo responso feminae ardor non diu minutus est, dolum enim suspicabatur, et affirmanti diffidens, uni e famulis maxime arduum negotium dedit, ut inquireret verane an falsa dixisset Sadius. Media nocte, dum expectabat audacis ancillae reditum, horas duxit insomnes, modo querens quod male, modo sibi gratulans quod bene suis rebus consuluisset; modo fortunae freta auxilio, modo angoribus animi cruciata. Tum vocat e suis aliquam : « Heus! Laï, quando recessit Ero? — Nunc, in primo galli cantu. — Quae missa crepusculo[1]? — Ad eum. Quare tam sero? — Sero missa, sero redibit. — Causam nostram et cur sit emissa nosti? — Non, sed scio quod cum omni festinatione se praeparavit, et opipare festiva seroque recessit. — Dolens est : unde festiva? — Monilibus, annulis, unguentis, purpura, bysso, sabio, calamistro : nec ei defuit acus ad glabellam. — Me miseram! ad quid hoc? — Vere nescio, sed nullius oblita fuit quod ad amatorem iturae prodesse posset; uncta, lota, compta, cerussata, plene redimita recessit; nihil auro, ves-

1. Sic in Wright editione. Legendum potius « ad cum ».

tibus aut aliquo juvamine fraudata : quaeritur omnia secum intenta, nihil de citato reditu pensans. — Putabam eam tam idiotam, omnium artium nesciam! — Nesciam! O quam bene prudentem in hujusmodi, si fateri fas esset! — Bona mea, dic omnia. Galonem (eo nomine vocabatur eques, cujus amore regina ardebat), Galonem nescio, quibuscum licet signis impetit. — Quid ipse tunc? — Dissimulat, tanquam alias ametur, aut amet. — Dicis « ametur »; immo dicitur quod non potest. — Ero jam scit, si potest. — Me miseram! Ero! — Ero! — Nostra? — Aliam nescio. — Quomodo scis eam hoc scire? — Certis eam conjecturis agnovimus. — Fallunt interdum, sed audio cardinem[1]. » Dialogus iste in scenam scriptus esse videtur, adeo parata habent in altercando responsa personae, adeo mira arte magis ac magis animi commoventur. Haec qui legit, vix non in mente habet aliquam partem omittere ut ad eventum festinet, ut quamprimum sciat quid novi ad dominam Ero relatura sit, et quodam modo anxia illa expectatione afficitur, quam nonnunquam, cum agitur fabula in theatro, patitur spectator, cum novus actus instat. At saltem Walterius, tum quia alacriter narrat, tum quia alternos sermones prompto ingenio adhibet[2], rerum scenicarum sensu non caret[3].

Raro accidit ut ejus fabellae merum sint mentis oblectatum, aut opus vagas species fingentis ingenii, sed in his saepius demonstrandum argumentum, aut praeceptum de moribus, nunc apertis verbis proponitur, nunc tantum suggeritur. Sed auctorem ipsum in principio libri audire libeat : « Cum a palatio descendunt palatini negotiis, regalium operum immensitate defessi, placet eis ad humilium inclinare colloquia, ludicrisque levare pondera seriorum. Hoc tibi vultu

1. *De Nugis*, p. 111, 112.
2. Alia exempla. Dist. III[a], 4 et 5.
3. Dialogus mercatoris Italici cum janitore et famulis. Dist. IV[a], cap. 16.

10

placeat voluminis hujus innobiles et exsangues ineptias vel audire vel legere, recreationis et ludi gratia. Theatrum et arenam incolo nudus pugil et inermis. Scribere jubes posteris exempla quibus vel jucunditas excitetur vel aedificetur ethica[1]. » E duobus officiis quae studet implere Mappius, ut testatur ineunte tertia *Distinctione,* posteriori certe accuratius incubuit. Fatendum quidem est in *Dissuasione de conjuge non ducenda* nihil inveniri posse nisi facetam scelestissimorum, quibus virum femina ab Adamo ad nostrum usque tempus irretivit, dolorum enumerationem, mixtis salibus, quale est illud : « Jupiter... post Europam mugire coactus est. Amice, ecce quem bonitas super coelos extulit ; femina brutis comparavit. Poterit et te femina cogere ad mugitum, si non es Jove major[2]. » In his certe nihil ad mores pertinere patet, sed de aliis partibus hujus Decameron non item. Etenim nonnulla verba de pravitate morum e divitiis orta id quod *de duobus Italis mercatoribus* refertur, et praecedunt et sequuntur[3]. *De paupere equite* dicto accedunt, quo rectius concludatur, sententiae de moribus, proposita quaestione utrum severius an indulgentius cum peccatore sit agendum[4]. Cum narratum est quomodo Resus juvenis suum erga conjugem equitis, cui grates meritas referre volebat, amorem vicerit, illorum quibus ad domandam carnem competit animus, laudes celebrantur[5]. Aliam fabellam orditur auctor disserendo de potestate maligni daemonis, et eadem in laudes Dei christianorum benevoli et propitii desinit[6]. Cum, propositi tenax, omnibus modis enititur ille ut grave praeceptum obumbret sub imagine rerum in quibus multum

1. Dist. III^a^, cap. 1.
2. *De Nugis*, p. 145.
3. *Ibid.*, p. 190 et 194.
4. *De Nugis*, p. 166.
5. *Ibid.*, p. 137. Dist. III^a^, cap. 2.
6. *Ibid.*, p. 124 et 131.

sibi permittit licentia, haec mirum in modum sapiunt. Tam laudando labori si et impetum in narrando et in alternis sermonibus alacritatem addideris, hoc breve opus intelliges inter aptissima ad lectoris delectationem quae apud Anglo-Normannos duodecimo saeculo enotuerint, esse annumerandum.

Ab arte tamen perfecta multum abest, antiquis specularibus simile, ubi, coloribus quasi hiulcis, vix personas discernere est ; ubi etiam, in maxima rerum varietate, ratio describendi semper rudis, semper eadem est. In libro *De Nugis*, in Oriente ne an in Italia, Lusitania, Anglia res agatur, parvi refert ; aliquando nec loci quidem fit mentio. Incipit narratio, coepta properat et vergit ad finem, nec interea circumstantia quaeque delineare aut ante oculos quasi tabellam ponere ullo modo scriptori venit in mentem. Minime differt a primis ecclesiarum romanarum sculptoribus, quos in columnarum capitibus signa quaedam hoc et illud, conventione facta, significantia incidere juvabat, potius quam naturae viventis exprimere pulchritudinem. Ab imaginibus autem ad vivam depictis adeo solet abstinere ut, personas in medium prolaturus, ineunte narratione, nunquam earum effigies repraesentare laboret. In his quae scribit inest aliquando veritatis color : apparet aliquando mentem mortalibus tangi sed ultra procedere Mappio non datur, nec facere potest ut illi quos inducit, tanquam carnem habeant et ossa, vivere, dolere, et inter se pugnare videantur. Apud eum homines, extra corpora positi, ad meram cogitationem mentis rediguntur, amorem videlicet ardentem simul et ingenuum[1], malam pecuniae contagionem[2], virilem amicitiam[3] exprimunt. Ubi autem non intendit Mappius duos affectus inter

1. Resus.
2. Duo mercatores Italici.
3. Gallo.

se conflictantes exhibere, aut animos quantum aliquod vitium inficiat, quantum confirmet aliqua virtus ostendere, satis ducit sine nomine personas in medium proferre, quae cum ingressae sunt, cum pauca et qualiacumque verba enuntiarunt, ex oculis ante elabuntur quam earum vultus animis imprimi coeperit, ut inanes species esse videantur. Neque limites operis definiuntur[1], neque similitudo ad effigiem expressa adstrictè redditur[2], unde fit ut ab imaginibus ad rem veritatemque mens nunquam traducatur. In ipsis partibus apud quas inter narrandum auctor a proposito non digreditur[3], neque rebus immoratur diutius[4], saepius animadvertitur auctorem iisdem studiis duci, iisdem artibus uti quibus illius aevi solebant homines, id est generaliter disserere et abstractis a corpore nominibus gaudere. Haec quasi juvenilia, utpote recenter e somno excita ingenia, quoniam eorum doctrina e libris tota desumpta fuerat, nec res ipsas observandas ullo modo curabant, eodem malo laborabant ac senescentia, quae retro semper respiciunt, nec pascuntur nisi argumentis et illationibus collectis ex rerum post multos annos oblivione deletarum experientia.

In similem conclusionem recidimus cum qualem se praestet liber Walterii qui tum ad litteras, tum ad grammaticam attineat, inquiritur ; in hac enim nostri laboris parte amplior de vitiis quam de dotibus sermo erit. Praesto quidem semper sunt Walterio vocabula, nunquam alienis opibus indiget, quoties audientes salibus perfricat aut colloquia instituit.

1. In dist. IV^a, cap. 16, satis illi videtur dicere rem se habere Ravennae et Ticini. In Dist. IV^a, cap. 12, personas esse Constantinopoli. In Dist. IV^a, cap. 6; in Dist. III^a, cap. 2, 3, 5, de locis omnino silet.

2. De Sceva et Ollone. Dist. IV^a, cap. 16, docemur eos fuisse « pares aetate, moribus impares, pueros de plebe ». De Rollone et Reso (Dist. III^a, cap. 5), de Paris et Lauso (Dist. III^a, cap. 3), nihil novimus quod illis fuerit proprium, nisi nomina.

3. Dist. III^a, cap. 3; IV^a, cap. 6; III^a, cap. 4.

4. Dist. III^a, cap. 2 et praesertim 3.

Duo exempla citare nobis liceat, quorum in altero diviti venae indulget auctor, et, narratis primum Jovis amoribus, deinde quam multis maritos aut etiam amatores suos Deae Olympi dolis fefellerint, nos edocet. « Phoebus, qui sapientiae radiis totius orbis primitiavit ambitum, ut merito solis nomine solus illustraretur, infatuatus est amore Leucothoes, sibi ad ignominiam et illi ad interitum, et ecliptica diu vicissitudine varius factus est, frequenter sui egenus luminis, quo totus universaliter egebat mundus. Amice, ne lumen quod in te est tenebrae fiat, Leucothoen fugito. Mars, qui deus bellantium dici meruit triumphorum familiari frequentia, in quibus expedit maxime prompta strenuitas, nihil sibi metuens a Mulcibro, ligatus est cum Venere invisibilibus catenis, sensibilibus tamen; hoc autem ad applausum satyrorum et derisum coelestis curiae. Amice, meditare saltem catenas quas non vides et jam in parte sentis, et eripe te, dum adhuc sunt ruptibiles, ne claudus ille faber et turpis, quem nec deus dignatus est mensa, dea nec dignata cubili, te suae Veneri more suo concatenet, et te sui similem, turpem et claudum, vel, quod magis metuo, loripedem faciat, et non possis quod salvat fissam habere ungulam; sed, alligatus Veneri, dolor fias et derisio videntium, dum tibi applaudunt caeci, et videntes minantur[1]. » In altero etiam loco, Mappius, majora tractans veriusque indignatus, nullo labore, nervis non deficientibus scribit, et liquet illum latina lingua non modo non gravari sed paratissima uti. « Illi fecerunt jam hunc Hebraei libellum, et me religionis persecutorem dicunt : vitia reprehendo, non mores; professores falsos, non ordinem bene institutum. Qui carnem affligunt ut castigent Venerem, qui pascunt pauperes ut propitietur eis Deus, qui media nocte surgunt ut confi-

1. *De Nugis*, p. 145, 146.

teantur non culpo; sed qui omnem omni studio lucri viam inveniunt et sequuntur, qui omnem avaritiae portam aperiunt et ingrediuntur; qui nullam excogitant emolumenti saevitiam quam non exequuntur. Haec sunt quae nos odisse decet, et ex horum sensu ducimur in querelam[1]. » Sicuti scriptor lento gradu incedens gravem et indigestam molem saepissime ferre videtur, ita copiosa oratio in immodicam facundiam et verba ultra quam satis est petita excidit.

« In vitium ducit culpae fuga, si caret arte. » Post multos alios, testis est ipse Mappius nemini licere aut aliquam dotem augere aut vitium recidere nisi in periculum incidat modum excedendi. Maculas, quae apud illum praecipue notandae sunt, diligentius in lucem proferre velimus. Sic, dum rem habet cum uno vitio, epitheta quatuor assumit, et hominem vocat « consiliarium, exploratorem, stimulum, instigatorem crudelitatis[2] »; dum affirmat e siderum cursu Dei judicia deduci posse, verba verbis, sententias sententiis cumulat, nullam tamen vim sententiae et verba superaddita rebus ipsis subministrant. « Quae facto decurrunt, vel secundum elementorum foedera praenotata sunt, quae per astrorum ortum, occasum et motum significata, quae secundum coelestem aut terrenam physim ab aeterno praeordinata, quod certa rerum series tenet et quod aeternae glutino rationis cohaeret immobiliter, quae secundum divinae dispositionis ordinem instant, et quae juxta creationis conditionem perseverant, aliquatenus novimus, et eorum ex praeteritis et praesentibus habemus praescientiam[3]. » Longus ille verborum circuitus in mentem revocat quantum momenti habuerint certamina in quibus eloquentiae magistri tirones inter se committebant Parisiis, verborum acervum ingentem cer-

1. *De Nugis*, p. 57.
2. *Ibid.*, p. 161, lin. 7.
3. *Ibid.*, p. 163; lin. 1, 5.

tatim congesturos. Illa exempla protulisse sufficiat, lectori enim parcendum putamus [1]. Hae sunt scholarum exercitationes, quales in iis locis invenimus ubi Mappius, indulgens genio, ambitiosae elegantiae se totum permittit. Non semel in infelicem verborum cavillationem incidit [2]; aut minime decentibus rem vulgatissimam fucat munditiis, ut cum scribit [3] : « Galo, Veneris fornace decoctus, pudicitiae purissimum exemplar enituit. » Saepius contraria contrariis usque ad taedium opponit : « At ille miser ferreis injicitur vinculis, et in carcere linquitur altissimo solus, aqua vinum, fame cibum, exili victu crapulam plectens; nuditate pellices, arenae redimens asperitate stratorum mollities, sobrietate coacta crapulam, cruce carceris thalamorum delicias, lucem obscuritate, moerore laetitiam [4]. » Nonnunquam his, quae per se vera sunt et simplicia, similitudinem ex antiquis fabulis desumptam ita adstruit, ut legenti cuique sit meminisse labor et taedium [5] : « Vasa complere pertusa laboramus, id est, animos insatiabiles, quorum adulteravit ambitio fundum, qui sorbent quod infunditur instar Charybdis, et sine plenitudinis apparentia non cessant haustus perdere vanos ». Ubi Mappius otiosas horas ducit, ubi in animo sibi fuisse eo libro munus implere historici, non autem litteris dediti viri obliviscitur, oblectat se memoria repetendo quidquid legit, conformationes sententiarum inauditas [6] et antitheta inveniendo, fingendo denique allegorias.

Sed ea parum ponderis habebunt si librum auctoris, qui sibi non mediocrem latinae linguae peritiam arrogabat,

1. *De Nugis*, p. 167; lin. 6-20; p. 171, lin. 8-21.
2. *Ibid.*, p. 126, lin. 6 et 10.
3. *Ibid.*, p. 123, lin. 21.
4. *Ibid.*, p. 159, lin. 20. Alia exempla : p. 127, lin. 15; p. 135, lin. 21, 26.
5. *Ibid.*, p. 240, lin. 10; p. 238 et 239.
6. *Ibid.*, p. 173, lin. 28; p. 17, lin. 10.

multis et gravibus vitiis, quod ad grammaticam attinet, infici meminerimus. Sine dubio, vix illi damus crimini quod a vernaculo sermone non pauca mutuatus est [1] (non enim aliter fieri poterat, cum esset litterarum studiosissimus). Rationem dicendi vere stupendam [2] qua saepe utitur magis vituperamus, sed ante omnia vitio illi vertimus quod grammaticae leges, aut saltem quasdam, pertinaciter contemnit, et propria latinae linguae insignia adeo irridet ut aliquando intelligi nequeat. Exemplo sint regulae quae statutae sunt de quaestionibus circa locum, de officio praepositionum, de obliqua oratione : illas Walterius tanta pervicacia praetermittit ut de industria errare videatur, quasi sibi inulto « soloecismum liceat fecisse ». Scribit enim audacter : « Venire in fructetis, mundum facici, quaesivit quod vellet fieri [3], edoctus quomodo respondebat [4] petens inungi in regem [5] »; *in* [6] et *ad* [7] minime convenienter eorum naturae

1. *De Nugis*, verbi gratia : « Habere pauperibus manus apertas » (p. 51, lin. 6). — « Pellem habere ossibus » (p. 56, lin. 6). — « In diem tertium a meo illuc adventu » (p. 102, lin. 7). — Et etiam : p. 125, lin. 15; p. 127, lin. 28; p. 138, lin. 8; p. 191, lin. 3; p. 204, lin. 16, etc.

2. *Ibid.*, verbi gratia : « Contigit quod vir auctoritatis maximae.... a patriarcha Hierosolimitano librum Evangeliorum peteret, quo etiam eorum interpretem misit » (p. 35, lin. 1, 5). — « Hos alliciunt, et ad camineas suas a strepitu seorsum ab *hospitibus* caritatis, id est *publicibus*, longe deliciis affluentur *exhibunt*, blandissime precantur ut.... » (p. 44, lin. 5-8). — « Audierunt sermonem fecisse cardinalium in aures Ernaldum » (p. 43, lin. 20). — Districtio quae sive tam christianos inducit in hunc carcerem Dacianus, et vero dispensant mitius, et quantum brevitas passionis cujus evaditur quam diuturna pressurarum agmina, tantum eorum videtur misericordior austeritas quam quae facit inopiam (p. 49, lin. 22-26). — Alia exempla : p. 51, lin. 19-24; p. 52, lin. 21; p. 87, lin. 22.

3. *De Nugis*, p. 103, lin. 11; p. 70, lin. 2; p. 71, lin. 29.

4. *Ibid.*, p. 72, lin. 26.

5. *Ibid.*, p. 73, lin. 14.

6. « In verbo Domini conquisierant Apostoli, non in ore gladii » (p. 32, lin. 24). — « Facti sunt in populum multum nimis, et in domos aucti plurimas » (p. 40, lin. 21).

7. « Ad petitionem cujusdam viri potentis, in terminis episcopatus sancti Joannis de Moriana, propagavit ex se Carthusia domum » (p. 27, in fine). — « Liber ad omnium exit laudes et gaudia » (p. 30, in fine). — « Ad unum se habent principium » (p. 45, lin. 10).

usurpat. In eadem linea, indicativus modus et subjunctivus sequuntur « scio » aut « nescio quid [1] »; conjunctionem *quia* indicativus et subjunctivus una comitantur [2]. Mappio judice, nullius momenti esse videntur leges quibus obliqua narratio regitur, cum eas arbitrio suo servet aut perrumpat [3]. Hoc autem est gravissimum et de latinitate libri multum detrahit, quod auctor latinae linguae praecipuas notas non modo attenuat, sed aliquando etiam delet. Si duobus verbis utitur, quorum alterum ab altero pendeat, expeditius illi est posteriori infinitivum modum semper imponere, neque id quod in tali casu grammatica praecipit, ullo modo curat, nunc suum conjunctioni *ut* munus auferens [4], nunc cavens ne in verborum structuram *ad* cum gerundivo inducat [5]; nunc denique haec aut similia scribere non dubitat : « fecit sedere [6], nudat altari [7]; contigit quod; filare videt [8] » — « non miseretur vexare [9] » — « dat sitire [10] ». Multis in locis eidem illi, qui latina exemplaria tamdiu perlegit et eorum artem combibit, — cujus laboris liber *De Nugis* millies fidem facit — latinae linguae studium et usum mente excidisse credas, cum, non meminisse visus quantum vocabulis concretis gaudeat, adjectivorum, adverbiorum et verborum praesertim vices substantivis abstractis tribuit.

1. P. 1, lin. 3 et 4.
2. P. 46, lin. 26.
3. « Inter nos sit disputatio quomodo potuit » (indicat.) (p. 22, lin 19). — « Incidit amicum habui » (p. 142, lin. 10); *item*, p. 147, lin. 9; p. 219, lin. 8; p. 230, lin. 11.
4. « Evicit ab ipso tam credi quam amari » (p. 207, in fine). — « Incola questus est aliquam partem agri occupatam fuisse » (p. 217, in fine). — « Urgebat regem dicere » (p. 230, lin. 7).
5. « Concurrebant inspicere » (p. 227, lin. 9). — « Missus quaerere auxilium » (p. 230, lin. 4). — « Ubicumque nos vocavit necessitas assilire vel tueri » (p. 234, lin. 6).
6. *De Nugis*, p. 71, lin. 3.
7. *Ibid.*, p. 74, lin. 8; p. 76, lin. 17.
8. P. 185, lin. 18.
9. P. 231, lin. 2.
10. P. 240, lin. 17; p. 243, lin. 16.

Itaque scribit : « sedet in tristitia[1] » cum scribere debuisset « sedet tristis » ; — « et etiam spiritus sancti causa, fit tam continuae laetitiae bonis inhabitatio[2] » ubi legere decuisset : « tam continua laetitia bonis inhabitat ». In quinquaginta primis libri paginis, quinquagies et semel verborum, septemdecies adjectivorum, bis adverbiorum in locum abstracta substantiva succedunt[3]. Nulla alia magis nota distinguitur ratio dicendi a Mappio adhibita quam infinitivi modi crescente usu et munere ad abstracta substantiva delato, nec sunt ulla vitia quae a tradita disciplina magis abhorreant.

Jam venerant tempora quibus necesse erat latina lingua redintegratam vitam reputaret, iterumque sepulcro conderetur, e quo si nunquam surrexisset, certe fuisset illi melius. Non enim feliciter processerat aetas nova, cum sensim propria insignia exuisset, et nativas amisisset dotes, aliis opibus minime paratis. Tempus erat, inquam, ut nova lingua robore pollens, juventute florens, in moriturae locum sufficeretur ; ut acri ingeniorum impetu ista doctrina nonnisi e libris constans deberetur ; ut denique operum, quae e sola memoria orta erant, ars nova, divitias ex se promens, vices impleret. Quisquis litterarum studiosus est, cum librum Mappii perlegit, auroram prospicit diei praenuntiam, qua patrius sermo gentibus illucescet ; non tamen in illo ipso *De Nugis* tam despecto indicia desunt e quibus portendi possit tanta rerum mutatio.

1. P. 2, lin. 22.
2. P. 2, lin. 3 et 4.
3. Exemplo assumantur haec e viginti primis libri paginis collecta. Loca in quibus abstracta substantiva pro verbis reponuntur : p. 1, lin. 5 ; p. 2, lin. 22 ; p. 3, lin. 3, 4 ; p. 4, lin. 1 ; p. 6, lin. 7, 12 ; p. 7, lin. 2 ; p. 10, lin. 20 ; p. 11, lin. 26 ; p. 12, lin. 8 ; p. 15, lin. 17 ; p. 16, lin. 14 ; p. 17, lin. 6, 20, 21 ; p. 18, lin. 27, 28 ; p. 20, lin. 3. — Loca in quibus abstracta substantiva pro adjectivis reponuntur : p. 5, lin. 1, 8 ; p. 10, lin. 1, 6 ; p. 20, lin. 11. — Loca in quibus abstracta substantiva pro adverbiis reponuntur : p. 10, lin. 15, etc.

IV

Illud reipsa in mente insidet legenti cuique capita in quibus agit Mappius, tum de traditis apud Wallenses[1], tum de portentosis rebus quas in patria a suis audivit. Ex his tantum quae notavit de civium suorum indole et natura, ut supra memoravimus, licet discernere et quam habuerit patriam et quo tempore scripserit. Solae etiam fabulae, quibus enarratis gavisus est adolescens, opus satis decolor et quasi obnubilatum splendore quodam poetico illustrant, et illud, commotis animis, gratius faciunt. Uno vinculo, scilicet tredecim capitibus quae haec omnia continent, liber Mappii litteris anglicis connectitur, nec alibi medium deprehendi potest inter praeteritum futurumque tempus, aut intelligi novam hominum exoriri progeniem.

Itaque, praetermissis locis ubi Walterius uno verbo notat apud Wallenses asperitatem, hospitalem animum, ingenitum illis tum regum, tum libertatis amorem, in inceptis audaciam et ad tuenda jura virtutem, velimus tantum ea meminisse in quibus se ostendit aut poeticae arti idoneum aut misericordiae capacem, cum non illi deesset aliud ut esset, quo sensu antiqui simul et recentiores id intelligunt, scriptor fabularum eximius. Hujusmodi dotibus non caret cum de iis sermonem instituit quae demissa voce tradebantur, quae pater filiis, nepotibus filii prodebant, non sine religioso animi sensu, ut portentosorum animalium occursus[2], homi-

1. In hunc modum distribui possunt capita ubi auctor, apud *Distinctionem secundam*, de fabulis in pago gallensi traditis sermonem habet : 9, 10. Fortiter et religiose gesta a Wallensibus quibusdam. — 11, 12, 13. Visiones et amores nympharum ignotarum. — 14. Diabolus sub specie mulieris carnem assumens. — 15. Visiones satyrorum. — 16. Praeclare facta et mors ignoti cujusdam equitis. — 20, 26. De Wallensium indole et ingenio. — 21. Quomodo Wallenses hospitem excipiant. — 22, 23. Narratio rerum ad historiam perinentium.

2. Dist. secunda, 15.

nes a daemone vexatos qui cum horrendis ululatibus in tenebris fuga se proripiunt [1], ignotorum equitum praeclare facta [2], et ante omnia nocturnas feminarum species quae a viris aliquantisper amari non renuunt, sed brevi oculis subducuntur, miserum, cui non jam datur oblivisci, post se relinquentes [3].

Cum nobis haec miracula enarrat, inest Mappio nescio quae poetica virtus intus latens, e qua proprium decus Saxonum bardorum carmina jam traxerant, quae etiam litteris e conjunctione saxonicae stirpis cum normannica ortis, insignem notam olim erat impressura. In Herefordensi pago vivebat, priscis temporibus, Edricus Wilde, « quod est silvestris, sic dictus a corporis agilitate et jucunditate verborum et operum, homo multae probitatis et dominus Ledburiae Borealis », castelli, quo tempore Walterius vivebat, notissimi. Cum quadam die venans ab itinere deerrasset, vidit nocte media, ubi silva rarior erat, accensam in magna caupona lucernam. Cognoscendi quid esset studio impulsus, propius accedit, per fenestram prospectat; repente saltantium canentiumque feminarum chorus sese illi offert. « Erant autem pulcherrimae aspectu, venustoque habitu eleganter cultae lineo tantum... Circuibant levi motu gestuque jucundo, et castigata voce; reverendo concentu sonus audiebatur exilis, et non erat sermo earum intelligibilis. » Una praesertim e nymphis, cujus major intellectu sermo, cui candida stola, equitis in se convertit oculos « ceteris forma facieque praestans, super omnes regum delicias desiderabilis ». Crescente admiratione, nasci coepit amor; « accipit vulnus in cor, arcuque Cupidinis impressos vix sustinet ignes; totus accenditur, totus abit in flammas, et a

1. Dist. secunda, 14.
2. *Ibid.*, 16.
3. *Ibid.*, 11, 12, 13.

fervore pulcherrimae pestis aureique discriminis animosus efficitur ». Non nihil quidem audierat de nocturno conventu daemonum nympharunque silvestrium ; audierat quam secreta essent istiusmodi concilia ; noverat quantae nimia curiositate cum subauscultantibus arcanaque intercipientibus poenae impenderent : sed nihil horum perpendere volens, omnia monita despexit : « quia recte caecus cupido pingitur, immemor omnium phantasma non pensat, ultorem non videt, et quae lumen non habet offendit improvidus ». Sub vesperum, redit ad cauponam, intro vi penetrat, et quamvis graviter laesus, tum calcibus, tum pugnis, a nymphis audaciae in hoc saltem virilis, « ipsam rapit a qua rapitur ». Solus cum dulci praeda. Eques christianae castitatis praecepta et urbanitatis leges omittens, « ea pro voto tribus diebus et noctibus usus est ; verbum ab ea extorquere non potuit ; passa tamen est consensu placido venerem voluptatis ejus ». Quarta die, nympha, in animum inducens non amplius tacere, his verbis amantem allocuta est ; utpote quam vicissent tantae deliciae : « Salve, dulcissime mi ; et salvus eris, et prospero statu personae rerumque gaudebis, donec improperaveris mihi aut sorores a quibus rapta sum, aut locum aut lucum unde, aut aliqua circiter illud ; a die vero illa decides a felicitate, meque sublata detrimento frequenti deficies, diemque tuum importunitate tua praevenies. » Tum laetitia gestiens eques se jurat promissis fore fidelem, et amicae invigilaturum : deinde, convocata suorum turba, celebrant ambo magno apparatu nuptias : quin etiam Angliae regem Edricus mirifici eventus admonet, et uxorem festinat illi notam facere. « Contigit postmodum plurimis revolutis annis quod Edricus venatu reversus circa tertiam noctis horam quaesitam eam non invenisset, vocavit eam et vocari jussit, tardeque venientem iratus intuens ait : « Numquid a « sororibus tuis tamdiu detenta es » et cetera jurgia fecit in

aerem, nam illa, sororibus auditis, disparuit. » Quibus narratis, Walterius, tum primum misericordia tactus, haec addit : « Poenituit ergo juvenem excessus tam enormis et damnosi, locumque petiit unde raptum fecerat, sed nullis eam fletibus, nullis ejulatibus revocare potuit. Clamabat per diem et noctem, sed ad insipientiam sibi, nam vita ejus ibi defecit in dolore continuo. » Sic, quia duo tantum verba non dicenda dixerat, eques amorem ignotae nymphae perdidit, quae, silvarum odorem suaviter redolens, praestantis formae gratiam ipsi obtulerat.

Eadem et propria nota, quanquam minus insigni, decorae sunt narrationes in quibus Mappius suorum civium indolem aptissime describit [1], subtiliterque scrutatur eorum mentes miracula quidem sitientes [2], minus tamen tactas inauditis morborum curationibus, tanti pretii habitis in nostra Gallia, quam sepulcri arcanis et nocturnis speciebus quae sub umbra silvarum apparent : aliquid denique simile invenire est apud excerpta e chronicis anglo-saxonicis quae adhuc ignota tradidit Mappius [3]. Sic effigiem depingit pii equitis qui, ut perhibent : « Pacis erat amator et assertor eximius, totumque mundum circuiens famosos ubique interfuit congressus [4], causa semper utrinque cognita, quatenus fieret injuriae depressor et athleta justitiae, et quia nunquam ab incepto resiluit nec actibus recusis retrocessit a voto. Omnem enim habere sapientiam aiebant, linguas quorumlibet loquebatur regnorum, et frequenti felicitate successuum totius vitae videbatur obedientiam obtinere, tanquam optioni suae parerent animantia omnium motabilium et haberent intelligentiam [5]. » Cum Mappius nobis ostendit Herculem

1. Dist. II^a, 9, 10, 20, 21, 22, 23, 26.
2. *Ibid.*, p. 11, 12, 13, 14, 15, 16.
3. *Ibid.*, 17. Dist. V^a, 2, 3, 4.
4. Sic in Wright editione.
5. *De Nugis*, p. 86.

illum christianum, « hominem secundum similitudinem angelicum et jam a Deo glorificatum[1] » per orbem totum euntem ut innocentes tueretur, nocentes castigaret; ab ultimis Indis redeuntem ut Romanos qui Wallensi pago injuste potiti essent, expelleret, in his nescio quid magnum spirare videtur. Illud est fabulosum epos; epos etiam dixerim, quamvis altera pars apud auctorem gratia praevaleat, narrationem eorum quae Godwino acciderunt. Singulare Saxonici Danensisque regum certamen ut decerneretur uter utri populo praeesset, a qua pugna a spectatoribus amborum pari virtute commotis desistere coacti sunt; insidiae a Cnuto, postquam rex Angliae factus erat, Godwino paratae, ut illum Saxonicae laudis propugnatorem e medio tolleret[2]; haec omnia digna erant quae inducerentur in libros de praeclare factis Equitum agentes, in quibus intricantur aut solvuntur nodi plenae ambagibus historiae, militisve pietate virtuteque simul conspicui depingitur indoles.

V

Inerant igitur in illo historico, qui morum correctorem se non semel praestitit, dotes ad poesim, ad vim commovendi, ad tragicam magnitudinem exprimendam aptissimae, quibus si junxeris jam laudata dona, miram scribendi copiam, in colloquiis alacritatem, animum generosis affectibus vehementer tactum, intelliges eum fuisse Walterium qui posset aliquo modo in condendis epicis carminibus partem habere, quorum hoc saeculum decurrens magnum proventum erat allaturum. Walterii liber non modico lumine illustrat obscuram quaestionem : non tamen nobis tantum sumimus ut dubium omne removeatur. Quaeritur ergo utrum

1. *De Nugis*, p. 88.
2. Dist. V^a, 4.

partem habuerit ille in conficiendis libris qui *De Tabula Rotunda* dicuntur. Ex eo certe quod dignas equite virtutes summopere coluit; quod longam narrationem brevibus paginis complectendi se praestitit peritissimum; quod Celticis fabulis impressam vim poeticam summa arte in lucem protulit; quod denique in historicis et fabulosis narrationibus ad mores saepius alludit, patet verisimilem esse sententiam quae nobis proponit Mappium ut participem operis, omnibus adeo grati ut Henricus secundus Glastonburgense Arthurii sepulcrum invisum ierit, et Plantagenet unicum filium quem a Constantia Britannica susceperat, ipso herois nomine appellaverit [1]. Plurimum valent ea argumenta cum animadvertitur invectum esse Mappium in inconditam rusticitatem carminum quae dicuntur Cantilenae de Gestis [2]; ab eo laudatas esse urbanae elegantiae illecebras [3], et aliquid de epicis carminibus, ut de Trojano Cyclo, fuisse significatum in libro [4]; cum denique narrandis civilibus bellis, quibus circa decimum saeculum Britannia cruentata est, libenter indulsisse [5].

Ex istis omnibus in unum coactis assurgit argumentorum corpus singulariter firmum, praesertim si consideramus quam parum habeant ponderis duae rationes a judicibus allatae qui negaverunt partem ullam opere in tanto Mappium habuisse. Testis primum citatur Giraldus Cambrensis, a quo accepimus Walterium solitum dicere, cum ambo conveniebant : « Multa, magister Giralde, scripsistis, et multum adhuc scribitis, et nos multa diximus. Vos scripta dedistis, et nos verba. Et quanquam scripta vestra longe laudabiliora sint et longaeviora quam dicta nostra, quia tamen haec

1. Dist. I[a], 137.
2. *De Nugis*, p. 195.
3. *Ibid.*, p. 89, lin. 1-3.
4. *Ibid.*, p. 92.
5. Dist. IV[a], chap. xv. Ad fabulas de Melusina alludit. Quanto praestent Trojani semel et iterum dicit; praeterea nullum locum praedicandi quantum contemnat Graecos praetermittit.

aperta, communi quippe idiomate prolata; illa vero, quia latina, paucioribus evidentia, nos de dictis nostris fructum aliquem reportavimus, vos autem de scriptis egregiis, a principibus litteratis nimirum et longe absoletis et ab orbe sublatis aliquam minime retributionem consequi potuistis[1]. » Quid hoc sibi vult, nisi quod Mappius laudem unam sibi vindicabat, scripsisse aliquas breves facetias, quae post breve tempus per ora hominum et manus perlatae fuerant? Illud asserunt Mappii detractores : at hujusmodi interpretatio parum mihi congruere videtur cum secunda parte citati loci. Etenim illae gravitatem materiae de qua Giraldus disseruit, summam, qua usus est, latinae linguae peritiam cum levi propriorum operum pondere et usu « communis idiomatis » confert. Porro non Mappii supersunt nisi latina opera; fabulas igitur vernaculo sermone scripserat, quod probare studemus. Sic argumentum e Giraldi verbis petimus, nedum ea nobis possint objici[2]. Adversariorum autem ratio altera nequaquam potior est[3], cum in eo consistat quod tantae ubertati ingenii obstet multis curis districta vita, quam agebat Walterius. Nullum autem usquam documentum invenimus unde concludere liceat illum muneribus itineribusque susceptis adeo fuisse impeditum ut ea, de quibus quaestio est, scribere nequiverit. Immo nobis compertum est mandata Walterio delata in breve solummodo tempus, et munera plerumque honorifica fuisse. Ceterum illi fabulas omnes *de Tabula Rotunda* dictas tribuendas esse minime asseveramus, et loca quae, nostro judicio, illius sunt, nihil impedit quin regii ministri, negotiis intentissimi, opus fuerint.

Sed amoveatur generalis illa controversia ut diligentius inspiciamus quasnam partes impleverit Mappius in confi-

1. Expug. Hibern. Opera, V, p. 410.
2. Nutt. *Legends of the Holy Graal*, p. 117.
3. Vox *dictum* non uno tantum modo potest intelligi. Sic superius mentionem fecimus de « Dicto pauperis equitis ».

ciendis duobus magnis operibus quae suo tempore prodierunt, fabulis videlicet *De Sancto Graalo* et *Lancelloto de Lacu*. In longa fabularum de Sancto Graalo serie, duae numerantur quorum auctores aut ignoti aut incerti sunt, *Vestigatio* S^{ti} *Graali* et *Magnus* S^{tus} *Graal,* quo tempore vivebat Mappius in lucem editae. Nobis est in mente breviter contrahere argumenta ex quibus inferri possit Mappium non quidem utrumque condidisse, sed invenisse materiam. Quod in clariore luce apparebit, si rationes e libro *De Nugis* deductas addiderimus. Argumento sunt primum Mappii opera et ingenium, illius erga res mirabiles studium, christiana fides omnis fraudis expers, quibus accedunt probationes ex historia et ex litteris illatae, cum testimoniis quorum auctores aut adfuerunt aut latuerunt. Is erat sane qui scribere posset nonnullas ex his mysticis et ab omni labe integris narrationibus, quae ad nos intactae pervenerunt, non memoria tantum traditae sunt. In fabulis fusius enarrantur quae in monasterio Glastonburgensi jam scripta fuerant. In his legebatur quomodo Joseph ab Arimathia manus Judaeorum effugerit, miraculo quodam cum suis omnibus in Britannicas insulas fuerit translatus, incolas converterit ad Christum, et, cum obdormivisset in Domino, in monasterio Glastonburgensi sepultus fuerit. Si quis scriptor artis suae peritus haec omnia sua fecisset, et arcte conjuncta commentis de rege Arthurio in vulgarem sermonem transtulisset; si denique finxisset profectum esse regem Arthurium cum suis equitibus ut S^{tum} Graalum quaererent, arma habuisset in manibus unde regiam potestatem tueretur, et ita evenit. Videmus enim auctorem historiarum in nova laude immorari qua per eas anglica fulget Ecclesia; in apostolica illius, quam detegunt, origine; non semel ad filium Josephi de Arimathia primatum pontificalem deferre. Ea certe et doctrinae a Foliot expositae et ambitioni

Henrici regis, qui se a Paparum summo regimine alienum esse profitebatur, prodesse poterant. Num in his rerum adjunctis Mappii Canonici nomen praetermittere licet, qui, et Episcopi doctrinae et regis ambitioni serviens, nobis in suo libro irae quam, legis christianae jurisque civilis interpres, in summos duodecimi saeculi pontifices concepit, multa reliquit testimonia; in omnes eorum fautores invectus est, omnes ab iis oppressos acriter defendit? Cum res ita se habeant, cum viri indoles tam aperte se detegat et omnia inter se tam apte cohaereant, num negari potest, non quidem *Sancti Graali* totius, aut *Inquisitionis de S^to Graalo*, at saltem horum operum alicujus partis Mappium auctorem esse? Non sane credimus, et idem sentimus ac Paulinus Paris et Green, qui diversis temporibus opinionem illam maxima auctoritate defenderunt [1].

Illud confirmant et argumenta e litteris desumpta et magni ponderis testimonia: etenim in prosa narratione quae collecta est e commentis Glastonburgensibus, auctor saepe a proposito digressus, incidit in fabulas quae modo Byzantium redolent, modo rerum Wallensium memoriam renovant, ut ea quae Hippocrae acciderunt, Petri cum Oreani filia amores; multiplices Mordrani, Nasciani, Celidonii visiones; ut etiam Persarum regis filiae Grimaldique fortuna. In Mappii autem libro idem fama traditorum apud Wallenses studium, idem graecarum rerum deprehendere est; quod ad visiones pertinet, principem locum ibi obtinent. Praeterea et *Inquisitio de Sancto Graalo* et *Magnum Graalum* eodem religioso sensu perfunduntur quo Mappii libri; eadem in litteris amat auctor uterque. Hujusmodi ne ad similitudines animum aequales attenderint nescimus: quidquid id est, *Inquisitionem de S^to Graalo* a Mappio com-

1. P. Paris, *Romania*, p. 1. — Green, op. cit., I, p. 137.

positam fuisse fama erat, et in *colophronibus*[1], ut aiebant, quorumdam e codicibus manu scriptis duodecimi saeculi nominis illius mentio fit. Traditionis erat interpres Helias de Borrone, cum scribebat, in prologo *Guironis urbani.* « Postea operam dedit Magister Walterius Mappius, qui fuit regis Henrici clericus et enarravit historiam Domini Lancelloti de Lacu, de quo, praeter alia, multum in suo libro. Deinde operam dedit Dominus Robertus de Borrone. Ego Helias de Borrone, illius rogatu et quia diu commilitones fuimus, inde initium cepi libri mei *De Breto.* »

Qui negaverunt in componenda *Inquisitione de S^to^ Graalo* et forsitan ipso *Magno S^to^ Graalo* Mappium partem habuisse, in Heliae testimonium vehementer insurgunt. Conantur enim ostendere illud vix ullius esse momenti, cum non fuerit e Mappii aequalibus; conantur etiam aliquid detrahere de *colophonum* significatione, asserentes illos interpolatos fuisse. Deinde affirmatur haec opera, jubente Henrico secundo, nullo modo scribi potuisse, cum rex anno millesimo centesimo octogesimo nono decesserit; ordo autem temporum, tam accurate constitutus a Domino Nutt omnino turbaretur, si aetati adeo antiquae praedicti libri adscriberentur[2]. Parum nos commoveret, ut videtur, ea argumentatio quibusdam in locis satis inconsiderate proposita[3], si non accederet metuenda D. Gaston Paris auctoritas, sed pro certo habemus Mappii opere ipso « parum claris

1. Britannic Musaeum, n°s 6963 et 6782.
2. Nutt, op. cit., p. 126.
3. *Ibid.*, p. 117. Haec sunt auctoris verba : « Helias Henrico secundo regnante non vixit, de Mappio enim loquens, praeteritum tempus adhibet; ex alia parte, in epilogo operis dicti *Du Bret* alludit ad latinum imperium Constantinopoli conditum. (Anno 1204.) Testimonium Heliae de Borrone non est igitur omnino unius ex aequalibus. Cetera, quomodo illi crederetur, cum contendat se fuisse sodalem Roberti de Borrone, Robertns autem ante Christianum scripserit et esset triginta haud minus annis major Helia, qui in *Guirone* circa annum millesimum ducentesimum vigesimum scripto, se juvenem esse profitetur. » (Mappius decessit anno 1210.)

dari lucem », ut ait Horatius. Ceterum minime contendimus propria Walterii manu tota haec scripta esse. Errores de Sacra Scriptura[1] quibus non semel offendimur, non coeunt cum his quae de illo nobis nota sunt, ut certe arduum sit haec loca interpretari. Nonnullos inter doctissimos viros convenit[2] fabulas de Graalo esse commune opus Walterii et Roberti de Borrone, ita ut prior formam propositi descripsisset, impressisset notam libro propriam, nempe inimicitiam in Papas; quorumdam Equitum pietate insignium — ut puta Galahadi, sine metu, sine culpa bellatoris — effigies animo concepisset; quin etiam pauca scripsisset, sed reliqua posterior. Ex his Heliae de Borrone quae supra retulimus, licet eo modo rem interpretari: illa insuper sententia hoc manu scripti libelli loco confirmatur : « Robertus de Borrone transferebat historias e latina in vernaculam lingam, Walterio Mappio adjuvante[3] ». Nodo sic expedito, argumenta cum objectis quodammodo conciliantur, et ad Mappium partes a studiis et moribus ejus minime abhorrentes deferuntur. Non enim, multorum instar hoc tempore, ingentibus libris immoriebatur, sed noti viri effigiem brevi quasi tabella amplecti, fictum aut verum facinus narrare, speciem animo conceptam exprimere amabat. Qualem in libro *De Nugis*, talem in operibus de S^to^ Graalo se praestitit, scilicet communium notionum amatorem, et artificem narratiuncularum eximium.

Idem sentiendum est de obscura quaestione quae de Lancelloto instituta est : excogitatum a Mappio propositum alii post ipsum amplificarunt. Inter duas disceptationes illud interest, quod argumenta maximi ponderis et ad rem optime

1. P. Paris. *Romania*, I, p. 231.
2. Hacher. *S. Graal* (1875). — Doctor Bugmann, *S. Graal* (1870). Profr. Skeat. *De Jos. de Arimathia*. Praefatio. Text. soc., 1871.
3. Bibl. Nat., 2455.

pertinentia demonstrant[1] ab immortali memoria Lancelloti de Lacu hujus nostri scriptoris nomen sejungi non posse. Non enim tantum historia Lancelloti cum traditis apud Wallenses de Maële rege cognationem habet (Maël autem, ut Lancellotus, interpretandus est servus)[2], sed ante omnia, in decimi tertii manu scriptis codicibus abundant testimonia in quibus fabulam de Lancelloto Walterii opus esse declaratur. Ex his alii in *Bibliotheca publica* Parisiis, alii in *Musaeo Britannico* Londinii inventi fuerunt[3]. Sunt etiam qui, in pictis effigiebus, Mappium adstante et, ut ita dicam, dictante Henrico secundo rege, opus de Lancelloto scribentem nobis ostendant. Contigit autem D^no^ Ward ut decretorium argumentum in lucem proferret, cum sedulo scrutaretur *Ipomedonta*, carmen circa annum millesimum centesimum octogesimum quintum ab Huaeo de Rotelanda, aequali et civi Mappii poeta, qui Crodenkilli prope Herefordum vivebat, neque aliam sibi laudem quaesivit quam latinum codicem in vernaculam linguam transferendi. In extremo primae partis loco, haec leguntur :

Attendite, Domini, totis auribus :
Huaeus asserit se nunquam mentiri,
Nunquam aut raro, passim tantum.
Nemo potest omni culpa carere;
Non invenitur adeo prudens homo
Ut semper sit eodem animo.

1. D. Nutt ipse hanc litem dirimere noluit, et argumenta afferentibus decedebat. Posterius tamen D. Ward decretorium argumentum invenit et protulit.

2. H. de la Villemarqué. *Fabulæ de Tabula Rotunda*, 1860.

3. *Brit. Mus.* : n° 10, 272 ; 10, 273 ; 10, 274. « Magister Walterius Mappius de Lancelloti historia non silet, sed eam perduxit ad finem rerum quae ipsi acciderunt, et ita librum suum composuit ut in iis quae narrat mendacium nullum esse videatur. » (XIII^um^ Saec.) — Royal 20, c. 3 (XIV^um^ Saec.) — Royal 14, c. 6 (*id.*). — Vide : Ward, Catal. of Romances, I, p. 345. — Wright, *Britannic. Litt. vitae*, I, p. 303 et 304. Bibl. Nat., Ms. 7177 et 7185, fol. 261. — Vide etiam : *Hist. Litter.*, t. XV, p. 496; Paulin Paris : *Catal. Mss. gallic.*, t. II, p. 462. Bibl. Nat., Ms. 7177 et 7185 fol. 26.

Hoc laborat aetas nostra malo;
Nolite me unum accusare dolo :
Non mentiandi scio solus artem;
In hoc Mappius habet suam partem.

Haec porro singularem inter Ipomedonta et Lancellotum similitudinem declarant. Etenim Ipomedon, Ducissae Calabriensis amore captus, ab illius sponso impetrat ut Dominae pocula ministret, cui brevi est in deliciis. Indictis, quorum Meleager, Ducissae conjux, particeps fieret, ludicris certaminibus, Ipomedon tanta virtute depugnat ut tribus diebus e praelio victor recedat, prima die alba arma gestans, albo equo insidens; secunda, fulvis armis instructus, fulvo vectus equo; tertia, nigra arma ferens, nigro usus equo. Tum Ducissae, ut illi se detegat, triplicem armaturam et tres equos mittit. Cum autem Lancellotus, sua Arthurium in aula invisens, primam palmam aufert, Albus Eques vocatur. Carcere inclusum castelli domina vindicat in libertatem ipsa die qua ludi celebrantur, e quibus victor exit, pulvis vestibus indutus, pulvo vectus equo. Solutus iterum vinculis, iterum palmam aufert nigro equo, nigris armis. Deinde, cum domina Genevofa sermonem conferens, illam edocet se esse Trium Colorum Equitem. Sic in utramque fabulam inducuntur duae mulieres, et ambae famosi bellatoris amorem sibi consiliare conantur; in utraque, duo viri triplicem armaturam eodem ordine induunt. Tum vero quum similitudo lectori ita se offert ut negari non possit, Huaeus de Rotelanda, in fine primae partis, Walterii Mappii nomen inscribit. Nihil certe est quod vim probandi magis habeat. Hanc igitur conclusionem proponimus : E brevi Mappii carmine tota historia Lancelloti de Lacu traxit originem, quemadmodum *Magnum S^tum Graalum et Inquisitio de S^to Graalo.*

De illis quaestionibus nihil amplius dicemus, brevi enim

praecidere controversiam, non vero res singulas perpendere nobis mens fuit, ut appareat quantum intelligamus tantas inter doctos viros lites componere non esse nostrum. Visum est tamen notare cuinam potissimum opinioni apte cohaereant ea quae ex disquisitione de vita, de indole, de ipso Mappii libro colligenda duximus. Emunctae naris homo, omnibus suae aetatis disciplinis excultus, cujusvis linguae peritus, in eadem propensus in quae inclinabant aequalium animi; Anglo-Normannicam aulam divite vena, acri ingenio deliniens; pluribus districtus curis, magis exquisito judicio litterarum utens quam ut longis narrationibus immoraretur, in opere certe mutilo, quod non est « Tractatus de Dogmatibus » nimia doctrina horridus, ut liber Joannis Saresburensis, quinque *Distinctionibus* et res propriae vitae memorabiles et ingenii ludos explicuit. Ex his narratiunculis nonnullae, quanquam diversi generis, ad nos pervenerunt, quarum una titulum habet *Epistola ad Valerium de conjuge non ducenda*, aliae constant e quibusdam locis « Cycli Arthuriensis ». Haec autem aut aequalium aut inferioris aetatis scriptorum cura et studio succreverunt, memoriamque *Sancti Graali* et *Lancelloti de Lacu* fecerunt immortalem.

CAPUT IV

De W. Mappio poeta

§ 1. De rationibus quibus quidam probare tentant omnino non authentica esse opera quae Mappio adscribuntur. In opere *De Nugis*, W. Mappius profitetur se scripsisse carmina latina. De triplici genere per medium aevum usu habito, quod genus triplex in volumine a D. Wright edito reperitur. Poemata alia fere decem, peculiaris formae, W. Mappio auctori attribui possunt. Rationes allatae.

§ 2. Horum poematum auctoritas historica. Documenta nova de duplici per saeculum XII[um] scientiae religionisque motu. Universitas Parisiensis, ejus magistri, studiorumque cursus; in ea fides ardorque vigent. Sensus religiosus. De corruptione totius cleri, monachorum, praelatorum, ipsiusque Papae deploratio. Verus ordo monasticus laudatur. W. Mappius, hauriens materiam tum ex anglicis, tum e gallicis et wallicis fabellis seu fabulis, utramque gentem, gallicam saxonicamque una prae se fert.

§ 3. Eorumdem poematum pretium poeticum historicam auctoritatem ipsorum non aequat, etsi strophae quaedam mentem bonam aut facetam arguant. Quae mediocritas dupliciter explicatur : locorum communium artisque rhetoricae abusus; praeterea auctor usu linguae latinae torquetur. Quae ipsae maculae poemata authentica esse fidem faciunt.

Quaestio de authenticitate poematum quae W. Mappii vulgo feruntur, eique in codicibus antiquis tribuuntur, easdem vices habuit quas nobilis illa prior quaestio de parte quam auctor operis *De Nugis* in ortu fabularum de Mensa Rotunda sibi vindicare posset. Judicium ab antiquis traditum, a criticis viris saeculi XVI[i], item ac

XVII[1], verum habitum est indicta causa; medio vero saeculo XIX° censores alii W. Mappio adscribere recusarunt brevissimum inter poemata quae multis abhinc saeculis ut genuina ipsius opera vulgata erant. Qua opinione a D. du Méril propugnata, tunc doctorum sententia mutata est. Inter eos quidam, exempli gratia D. Langlois[1], sententiam dicere abnuerunt; alii, ut Morley, quum dissentientes a criticis qui in cunctis latinis medii aevi poematibus styli Mappiani aliquid subodorabantur, tum sola authentica esse propugnarunt brevia aliquot poemata quae fama illustravit.

Rationes quibus D. du Méril innititur eaedem revera sunt quas de Mensae Rotundae fabulis bona fide retulimus. Perpenso primum pondere testimoniorum manu scriptorum, quae non auctoris eruditi et alicujus ponderis, cujusdam contra sunt sine nomine librarii, scribentis in margine : Walter Mapès (sic)[2], tum D. du Méril probare tentat id poematum genus vitae moribusque W. Mappii, quales fama tradidit, valde absonum. « Primum, inquit, is erat vir genio ac facete dictis mire indulgens, qui nihil scripsit nisi Mensae Rotundae fabularum translationem ad usum aulicarum matronarum et regis ipsius Henrici II[i]; auctor contra latinorum numerorum pro clericis tantum scripsit, praebetque se tum longo linguae latinae usu exercitatum, tum in operibus antiquis apprime versatum, quum in multis ejus poematibus, linea ultima cujusque tetrastichi scripta sit classico metro, versusque strophae quaterni similiter desinant[3]. » Quam demonstrationem breviorem, ne infirmam dicam, ut confirmet, D. du Méril testem advocat Giraldum Cambrensem, W. Mappio familiorem. Qui, asserit D. du Méril, in permultis et magnis suis voluminibus,

1. Vide articulos duos in *Revue Bleue*, jam ant. cit.
2. *La poésie latine au moyen âge*, p. 149.
3. *La poésie latine au moyen âge*, p. 150.

nulliter citat eum tanquam istarum satirarum auctorem, imo eas tribuere videtur cuidam Goliae, in quem contumeliosa effundit verba. « Parasitus quidam Golias nomine, nostris diebus gulositate pariter et dicacitate famosus, qui Gulias melius, quia gulae et crapulae per omnia deditus, dici potuit, litteratus tamen affatim, sed nec bene morigeratus, nec bonis disciplinis informatus, in Papam et Curiam romanam carmina famosa pluries et plurima tam metrica quam rythmica non minus impudenter quam imprudenter evomuit[1]. »

Trium illarum rationum unam non longius refellemus, quae jam in paginis superioribus satis confutata sit : supra enim abunde descripsimus W. Mappium, tum virum litteris imbutum rerumque aetatis suae haud certe imperitum, tum virtutis magistrum, asperrima convicia sale urbanissimo aspergentem. Secunda et tertia quoque ratio allata, specie quidem, non autem re firmior est. Giraldi Cambrensis verba ultra sensum naturalem aucta sunt; idem dicendum de momento verborum quibus loquitur de quodam W. Mappii opere quod nominat « dictum ». Ante omnia affirmari non potest eum de istis W. Mappii satiris nullum verbum facere; imo ipsas citat ut opus viri « linguae dicacis, eloquentiae grandis, qui illorum et similium suggillabat avaritiam episcoporum[2] ». Deinde « Golias » nunquam aliud fuit quam nomen fictum. In opere *De Nugis* W. Mappius refert pauca verba epistolae cujusdam sancti Bernardi, in quibus Abelardus Goliae superbo, claro apud biblica scripta giganti, comparatur[3]. Cur ergo W. Mappio non visum esset Goliae personam induere[4]? Verba Giraldi Cambrensis allata ullum certi nominis auc-

1. *Speculum Ecclesiae.* Locus citatus in *Introductione ad Mappii latina poemata*, ed. Wright.
2. P. 38.
3. *De Nugis*, p. 41. Sancti Bernardi Epist., CLXXXIX, col. 1547, edit. 1612.
4. Canonicus Rothenwald ipsum vocat Goliae discipulum. Vide Wright. ed.

torem plane signare, controversiamque inter criticos litterarios dirimere Giraldus Cambrensis in summa sententiam proferre recusavit de authenticitate poematum latinorum quae vulgo per ora volitabant, et quorum quaedam omnium minime contumeliosa, at non minime acerba ab ipsius amico W. Mappio scripta erant.

D. du Méril qui tam magni faciebat verba Giraldi Cambrensis allata, nullum aut fere nullum momentum tribuebat aliis locis manu scriptorum, litem tamen praecidentibus. In quorum explanatione non opus est morari; est enim testis majoris ponderis, a D. du Méril non citatus, qui testis ipse W. Mappius est. In opere *De Nugis* W. Mappius passim poetae sibi nomen vindicat. Alias praecisis verbis se Musarum discipulum profitetur. « Cum ab omnibus curis sint musae refugae, nostram super omnes objuraverunt[1]. » « Timeo ne feceris de homine asinum, quem debueras facere poetam[2]. » Alias queritur quod non sibi sit otii satis ad scribendos versus. « Quietae mentis est, et ad unum simul collectae, poetari. Totam volunt et tutam cum assiduitate residentiam poetae et non prodest optimus corporis et rerum status, si non fuerit interna pace tranquillus animus; unde non minus a me poscis miraculum hinc, scilicet hominem idiotam et imperitum scribere, quam si ab alterius Nabogodonosor fornace novos pueros cantare jubeas[3]. » Alias paupertatem lamentatur, « quia, inquit, pauper poeta nescit antra musarum[4] ». In alio denique loco culpat aetatem agrestem rudioremque quam ut in ea pretio habeantur canora et lepida carmina. « Cum orbe incitatae sunt musae, et jam non oportet ab antris earum loqui, nec iis regulis artium arctari[5]. »

1. P. 141.
2. P. 19.
3. P. 14, 141.
4. P. 107.
5. P. 147 (Antram ?)

Ex istis locis relatis concludi potest W. Mappium fuisse poetam, sed interdum tantum ac raro versus scripsisse. Cujus assertionis fidem faciunt lamentationes ipsius de rerum adjunctis quibus saepius impeditur ne furori poetico totum se tradat. Minus ergo constat eum scripsisse ista LII poemata breviora [1], quae D. Wright ut opus Mappii evulgavit et in ordinem digessit [2]. Proinde quaenam carmina ut Mappii auctoris habenda sint, quaenam vero ut apocrypha rejicienda, quaeri potest.

Hic surgit nova quaestio non minus implexa quam ea prior de Mensae Rotundae fabulis, de qua certant auctores. Quaeri insuper potest nonne ista LII poemata possimus in quaedam genera distincta digerere. Genera autem facile est distinguere saltem tria, omnino diversa. Primum quidem et copiosissimum (poemata tredecim complectitur) [3] constat carminibus horridis ac male latinis, saepissime versibus brevibus atque sonantibus, qui facile decantari possent et quae elaborata videntur ab istis vagantibus monachis, infimis cantoribus, qui, conciliorum [4] contemptis decretis, monasteria curiasque pererrabant, cantica dicentes, aut epigrammata declamantes. Quo enim pacto non agnoscere possimus clericos istos egentes, qui sive apud Universitatum alumnos famulando [5], sive in

1. Leyserus, in *histor. poeseos mediaevae aetatis* 30 tantum carmina W. Mappio tribuit. Tanner vero (*Biblioth. Brit. Hib.*) eamdem quam D. Wright sententiam tenet.

2. Wright (Cambden Soc., 1841) vulgavit omnia poemata W. Mappio vulgo attributa. Excipiuntur : 1° Topographiae compendium ; Commentationes Giraldi ; Liber in Cistercienses monachos ; quorum Bale et Leyver meminerunt, quae autem nunc desunt ; 2° Sancto Edmundo, de Festivitate omnium Sanctorum, ad utrumque statum, quae cum Ms. Cotton Vitell D. VII perdiere ; 4° Rythmi de Susanna (Corpus Christi Coll. Oxford).

3. Quorum poematum index sequitur secundum opus a D. Wright editum : I, 7, 9, 12, 13, 14, 16, 18 ; II, 12, 13, 14, 15, 16, 17.

4. Metropol. Turonens., pars II, p. 52 ; *Concilia*, edit. Labbe t. IX, col. 578 ; Boniface VIII, *Nov. Decret.* lib. III, t. I, cap. I.

5. Matth. Paris (p. 304, edit. Walt) habet Goliardenses alumnorum famulos.

quodam monasterio scurras agendo[1], sive etiam regiones cum canticis pererrando[2], victum incertum ad vitam libidinosam sustentandam sibi quaerebant; quo pacto, inquam, non istos Guliardos[3] agnoscamus in versibus quibus ignotus quidam poeta verbis nudis, brevibus versibus, sacerdotem depravatum suggillat[4], suam ipsius miseram vitam strophis modulatis et permultis jocis alliterationibusque depingit[5], viatorem amicum socio commendat, improbum notat collegam[6], aut se praebet facundum defensorem[7] clericorum anglicorum dulcium suarum *focariarum*[8] absentiam deplorantium? Una cum illis carminibus, quae nullius poetica momenti, magni autem sunt historici valoris, apparent alia duo genera poematum non aeque ignobilium. Haec

1. Masterre, *Thes. Anecd.*, t. IV, col. 707 et 729. Masterre et Durand. Ampliss. coll., t. VII, col. 117, referunt Conciliorum decreta vetantia clericos fieri Goliardos aut scurras.

2. D. Bouquet, t. XVII, p. 363. *Piers Ploughmann.* L. 77, ed. Wright; *Canterbury Tales*, 562, ed. Tyr, eos assimilant cantoribus clericis.

3. Ducange non aperte suam sententiam aperit de etymologia hujus vocabuli. Nihil est quod absolute concludere sinat *Goliardensem Golia* ortum ducere potiusquam à *Gula*.

4. Plenus sorde, plenus mendis,
Ad auctorem manus tendis,
Quem contemnis, quem offendis,
Meretrici dum ascendis.....
Sacerdotem Gomorreum
Super omnes dico reum;
Sed hunc magis phariseum (I, 9, p. 49 et 51)

5. I, 12, 13.

6. I, 14, 16.

7. II, 12, 14, 15, 16, 17. Poemata ista varias induunt formas, modo fabulae, modo soliloquii, et praecipue dialogi. Quum frigida sint istiusmodi horrida opera, lector comperire poterit ex loco infra citato :

Ait cellarius : « Non potest hoc transire;
Me regit una bestia, sinerem salire,
Sed meretrix monocula renuit abire;
Cum senoris coqua cuperem cambire. »
Tunc in consistorio omnes corrisere :
« En! noster cellarius non est stultus vere,
Quod. pro cute pessima, quam nequit consilere,
Senioris lepidam cogitat habere » (p. 175).

8. De Goliadicis poematibus consulatur Langlois, *Revue Bleue*, 1893, I, p. 174. — Marold. (Deutsch Philof., XXIII, 1897, p. 1-26).

sunt primo loco pia [1] poemata de materiis ethicis saeculis XII° et XIII° usitatis, exempli gratia de majore semper corruptione saeculi [2], celebris illa disputatio corporis et animae in sepulcro [3]; sequuntur poemata de materiis pure religiosis ut strophae ad Beatam Virginem, quae mirum in modum docent quam parvum medio aevo fides christiana pura fuerit [4]. Est denique ultimum genus [5] carminum, quae nihil aliud sunt quam scholasticae exercitationes, seu disputationes [6] duorum virorum proposita inter se pugnantia propugnantium; quibus ludis libenter se exercebant ornatissimi Universitatis Parisiensis alumni; cui generi proxima sunt de rebus communibus commenta, velut de pecunia [7] aut de vario et multiplici hominum ordine [8].

Seclusis istis anonymis et communibus poematibus, quae in latinorum medii aevi carminibus nihil excellant, suntque intimi sensus saeculi velut index, cujus saeculi fabellae sunt speculum morale; seclusis item poematibus mutilis aut fragmentariis, undequaque ortis [9], tunc occurrunt decem fere poemata singularis generis [10].

1. Carmina duodecim : I, 3, 8; II, 2, 5, 6, 7, 9, 10, 11, 18, 19, 20.

2. Ex eo ipso quod compendium a D. Wrigt editum continet sex carmina de eadem materia, sequitur quod omnia illa carmina non sunt unius ejusdemque auctoris, videlicet Walterii Mappii.

3. *D. Ratiachkoff* (*Romania*, XX, 1, 513) tribuere renuit W. Mappio poemata plura de eadem materia, et agnoscit in hoc carmine simplicem translationem operis vulgati : « Desputaison du corps et de l'âme. »

4. II, 18, 19, 20.

5. Septem carmina (III, 1, 2, 3, 5, 6, 7, 8).

6. III, 5, 6, 7, 8.

7. III, 1, 2.

8. III, 3.

9. I, 4, 6; II, 3.

10. Quorum annumeratio sequitur, adjunctis una rationibus quarum fide horum poematum quodque W. Mappii esse censemus.

I. *Apocalypsis Goliae* (I, 1) : 1° quae Mappio tribuitur a tribus manuscriptis (Bodleian, 851, Rowl, B. 214, it. 496); 2° item antiqui semper censuerunt : 3° canonicus Bothewald, Cisterciensium vindicator, Mappium vocat « Discipulum episcopi Goliae »; 4° auctor scientiam biblicam, scholasticam, atque litterariam ostentat; 5° satirae universos et neminem proprie notant,

Quae poemata facili stylo scripta ab homine omnium litterariarum artium perito, sententiis referta tum piorum, tum antiquorum carminum, admirationem et gratum animum erga Universitatum magistros exhibentia, quae poemata, inquam, exceptis tribus ubi auctor furori poetico facete ac laete indulget, tota sunt in minute describendis curis animi sagacis et religione imbuti. Pericula quae Ecclesiae inferuntur propensione Curiae Romanae ad omnia absumenda, ejusdemque famosa corruptela, quorumdam ordinum monachorum infirma mente et avaritia, multorum praelatorum tum mentis, tum morum mala fama, haec omnia audacter notantur et strenue damnantur. Idem auctor curas ethicas necnon et sacerdotalia sua officia

quod indicium est operis in secessu compositi, cujus generis signanter sunt Mappii opera.

II. *Metamorphosis Goliae* (I, 2). Auctor : 1° effusis verbis Abelardum laudat, ab inimicis falso vituperatum; 2° praebet descriptionem Universitatis, ejus doctorum doctrinaeque in ipsa traditae; 3° V. 206, memorat cum laudibus Mamerium, Exeteriensem episcopum cujus nomen in opere *De Nugis* reperimus (p. 20); 4° sic ab antiquis traditum est.

III. *Sermo Goliae* (I, 5), qui materia simul et arte omnino similis duobus prioribus carminibus apparet.

IV. *Praedicatio Goliae* (I, 10). Operum antiquorum recordationes, verborum de mutationibus lusus, fidei religiosae sinceritas, haec omnia monent opus esse ejusdem generis et auctoris.

V. *De gratis Monachis* (I, 11). Frequentes allegoriae, convicia in Cistercenses, laudes status monastici, omnia denique indicia quae W. Mappium notant, reperiuntur in hoc poemate.

VI. *Confessio Goliae* (I, 15). 1° Giraldus Cambrensis habet hoc poema ut descriptionem quam de se ipso scripsit Mappius; 2° hae strophae effingunt potatoriam cantiunculam, quae ut W. Mappii opus vulgata est. 3° episcopus Coventriensis ad quem alludit versus 95, fuit Mappii aequalis;

VII. *De conjuge non ducenda* (I, 17) non est nisi explicatio capituli IV, 3. *De Nugis*.

VIII. *Dialogus inter aquam et vinum* (I, 19) : 1° initium idem est quod I, II; 2° verbosam ubertatem quae hic est, videre est in caeteris poematibus.

IX. *Cambriae epitome* (II, 4). Manuscriptorum traditionisque testimonia, auctoris in Giraldum Cambrensem amicitia, in fabulosas de natali solo narrationes studium, nos inducunt ad hoc poema W. Mappio adscribendum.

X. *Contra ambitiosos et avaros* (II, 8). Versus 160 reperitur in opere *De Nugis*, p. 50.

D. Morley adscribebat Mappio solum, I, VI, VII, IX, vol. III, p. 174. *Hist. litt.*, vol. XXII, p. 160, adscribit insuper Mappio, praeter, I, II, III, IV, V, VII, et denique poemata edita a Wright, p. 257, 258.

interdum oblitus, vertit se ad materias valde a prioribus diversas — ut saepe fit in istiusmodi temporibus, — scilicet modo potatoriam cantiunculam componit, modo sua ipsius peccata confitetur, aut etiam facetiis insectatur amicum conjugii mare aestuans petere non dubitantem Quo modo agebant hujus aetatis sculptores, qui post annos multos in caelandis aedium canonicarum [1] lignis, aut exsculpandis in claustri silentio [2] peristylis insumptos, animum relaxabant figuras aliquantulum lascivientes efformando aut ludos verborum alicujus levitatis exprimendo. Quae omnes notae saepe secum specie pugnantes, nonne satis et praecise indicant hunc virtutis magistrum in rebus politicis errabundum, hunc sacerdotem in Universitate Parisiensi studentem, Abelardi jam pridem mortui discipulum, uno verbo W. Mappium? Quomodo non agnoscamus in ejus brevioribus poematibus naturale complementum sive historicum, sive litterarium operis *De Nugis* [3]?

II

Hi enim versus, qui ad ducentos aut trecentos fere numerantur, praebent nobis brevia quidem at non parvi momenti documenta de cogitationibus quae xii° saeculo mentes agitabant. Istas strophas legendo, quarum versibus similiter desinentibus aures non harmonia mulcentur, sed ut sono campanae pulsantur, distincte perspicimus quam ardens fuerit illa animorum renovatio, quamque legitimae illae de religionis discrimine querelae. Praeterea videmus

1. « Saint Bertrand de Comminges », apud « Luchon ».
2. Montreale, apud Palermam.
3. Duae etiam aliae notae universo huic poematum generi communes eorum similitudinem confirmant; videlicet omnia fere poemata scripta sunt strophis versuum 10, 11, 12 aut 13 syllabarum, quorum unica lex est ut similiter desinant, horum poematum fere omnium forma est somnium et visio, I, II, VII, VIII, X.

ex isto artificiali ac sine colore linguae latinae involucro jam una prorumpentes illam jucundam hilaritatem atque morosam tristitiam, quae notae signant duas litterarum artes novas, hac aetate nascentes, atque mire compositas in operibus hujus Wallensis, Universitatis Parisiensis alumni, etsi linguae mortuae ponderosa veste adhuc praegravatas.

Aestiva quadam serena die fessus Walterius Mappius sub frondoso tegmine obdormivit. In somniando visus est sibi in mirae pulchritudinis locum translatus : ibi nemus, cujus viridia folia nunquam hieme desecabantur, in immensum prolatabat frigus opacum : fragrantes ubique odores, et ubique canori concentus :

Circa ima memoris aura susurrabat,
Cujus crebro flamiue nemus consonabat;....

Circa partis mediae medium ramorum,
Quasi multitudinem fingens tympanorum
Personabat mellium quiddam et decorum,
Et extremo carmine dulcius olorum[1]

... Nam ramorum medium vento quatiente,
Et pulsu continuo ramos impellente,
Mixtum semitonio interveniente,
Sonat diatessaron, sonat diapente,

Dum tali modulamine delectatus, W. Mappius locum apertum devenit.

Nemoris in medio campus patet latus,
Violis et alio flore purpuratus[2].

Quo in medio fragrante prato stat regia aedes, cujus columnae graciles tectumque procerum e fabrica Vulcani orta videntur. In peristyli muris coelorum arcanae leges videntur esse depictae. Quae ergo est illa elegantior domus? quis ille amoenissimus recessus? Nec sedes est beata deorum, nec locus ubi functae vita animae morentur, sed tranquillus

1. In editione Wright legitur *alorum*, pro quo vocabulo omnino legi debet : *olorum*.
2. Wright ed., p. 21 et 22.

secessus quo veniant fortes erectique animi, prioris vitae dolores oblituri, in contemplando aperte rerum origines ignotamque veritatem :

Ista domus locus est universitatis,
Res et rerum continens formam cum formatis,
Quam creator optimus qui praeest creatis,
Fecit et disposuit nutu bonitatis.

Hic intus multimodum audio concentum,
Ut dearum crederem fieri conventum :
Nam in suo genere omne instrumentum
Sonat et laetitiae facit argumentum[1].

Qua in ficta et per somnum visa Universitate jucunde degunt animae illustrium virorum antiquorum, necnon et clarorum magistrorum quos discipulorum admirationi rapuit mors immatura.

Istas felices umbras contemplemur ambulantes, quas in transitu notare sat erit, ut instituere de novo queamus exactum indicem magistrorum, tum antiquorum, tum recentiorum, qui, medio saeculo XII°, alii operibus, ore facundo alii, mentes excitarunt sopitas, easque direxerunt in duas vias, quae ipsae in triplicem et quadruplicem semitam findebantur. Quae omnia a W. Mappio mire describuntur in duabus strophis sequentibus :

Ipsam Pythagorae formam aspicio,
Inscriptum artium schemate vario.....

In fronte micuit ars astrologia;
Dentium seriem regit grammatica;
In lingua pulcrius vernat rhetorica;
Concussis aestuat in labiis logica.

Hinc arithmetica digitis socia;
In cava musica ludit arteria;
Pallens in oculis stat geometria;
Quaelibet artium vernat in propria,

Est ante ratio totius ethicae;
In tergo scriptae sunt artes mechanicae[2].

1. Wright ed., p. 22 et 23.
2. Wright ed., p. 2.

Quamvis W. Mappius « trivium » et « quadrivium » nomine Pythagorae tueatur, non a Pythagora tamen princeps locus tenetur in Campis Elysiis, sed ab illis mentium in medio aevo incitatoribus. Quae gloria manet quatuor magni ingenii viros, qui, etsi virtute impares, una tamen et ex aequo procedunt super odorante gramine. Plato et Aristoteles [1] revera exstiterunt, qui, interposito saeculi unius intervallo, mentes expergefecerunt. Illius auctoritas in disputationibus metaphysicis ad Abelardum prolatis praevalens apparuit; hunc autem posthac videre est majore in diem gratia pollere, atque in operibus S. Thomae splendescere [2]. Hi maximi duo philosophi levi passu incedunt praeter porticus, a ceteris segregati; quos subsequitur Priscianus; hic sibi videtur adhuc in schola docere, « dans palmis verbera [3] ». Priscianus enim horridis et sine arte translationibus docuerat adolescentium teneras mentes copiam vocabulorum, quae ipsis opus erant. Post Priscianum incedunt Boetius, atque Vergilius « formans aereas muscas [4] »; hi enim mentibus praebuerunt materiam aliquam moralium disputationum generaliumque sententiarum, quae tunc usu habebantur.

Illis sub frigidi nemoris arbores proximas subductis, vidit coram se transeuntes omnes, quorum opera ista aetate aliquatenus nota fuere : Ptolemaeum, Euclidem, Ciceronem, Ovidium, Persam, Lucanum et Catullum; omnes etiam tunc temporis nomine tantum notos, eosdem doctrinarum abditarum tanquam figuras, ut Heraclitum, Pythagoram atque Archelaum [5]. Denique ut totum hoc somnium omni ex parte mirum sit, apparent et illi praecellenti ingenio

1. Poole, *Hist. of Med. Tought*, p. 55, 58, 117. *Poemata*, p. 3, 27.
2. Poole, p. 1, 142, 239, 266.
3. *Poemata*, p. 3.
4. *Ibid.*, p. 4, 26, 27.
5. *Poemata*, p. 3, 4, 5, 26, 27.

viri quales habitu et moribus revera fuerunt; W. Mappius videt eos ambulantes, quemque cum muliere quam dilexerat, quemque cum diis quos adoraverat.

Vates huc convenerat sine sua nullus [1].

Silentium fit; et aliquid temporis interponitur. Dein W. Mappius mire gestiens contemplatur acri ingenio viros, qui primi in Occidentis regionibus inde a Barbarorum incursu effulserunt.

Solus, a ceteris segregatus Abelardus, qui jam abiit, quum advenit Heloïsa.

Nupta quaerit ubi sit suus Palatinus,
Cujus totus extitit spiritus divinus;
Quaerit cur se subtrahat quasi peregrinus,
Quem ad sua ubera foverat et sinus [2].

Sequitur numerosa turba eorum qui eodem ac magister studio scientiae arcana sunt scrutati, eodem ardore pugnarunt adversùs sanctum Bernardum, virosque ut nimium arctae mentis atque duri animi tum notissimos : discipulus magistro auctori operis « Sic et Non » nimis addictus [3], Anglicus Robertus Peilloyn [4], tam Gilbertus de la Porrée, ejusque magistri, Theodoricus Carnutensis et Bernardus Carnutensis [5], Hugo Numantius, Coventriensis episcopus [6], qui monachos e sua dioecesi exegit, eorumque in locum sacerdotes suffecit saeculares. Longe ab illa turba transeunt a ceteris separati duo viri ingenio clari, quos W. Mappius Parisiis audierat loquentes, quorumque non oblitus erat acerba in Gilbertum de la Porrée testimonia in concilio

1. *Poemata*, p. 26, 27.
2. *Ibid.*, p. 29. Satis ambigua sunt non paucorum nomina, ut in textu Mappii teguntur. Quorum de interpretatione D. Wright saepe in errorem labitur; ideoque potiorem habemus interpretationem datam a D. Hauréau (*Mém. de l'Acad. des Inscript. et Belles-Lettres*).
3. Hauréau, *Hist. de la philos. scholast.*, I, 484.
4. *Poemata*, p. 29.
5. *Ibid.*, p. 29.
6. *Ibid.*, p. 15, V. 93.

anni 1154 prolata. Hi sunt Adamus a Parvo Ponte, et Robertus Melodunensis[1].

Abrupte W. Mappius a somno excitatur somniumque finem habet.

Hi versus sunt inter maxime jucundas W. Mappii paginas, tum litterarum arte, tum indiciis historicis pollentes. Haec duo poemata quasi summam referunt laboris fructuosi exantlati a viris aetatis hujus. Qui, in silenti conclavi degentes, et coram pagina adhuc alba sedentes, obliti sunt dies transeuntes, resque caducas.

Paginae mentium renovationem saeculi duodecimi cursim describentes, desinunt in acerbam contra monachos insectationem :

> Grex est hic nequitiae, grex perditionis,
> Impius et pessimus haeres Pharaonis,
> Specie exterius dans religionis ;
> Sed subest scintillula superstitionis ;
>
> Gentis gens quisquilia, gens haec infrunita,
> Cujus est cupiditas mentis infinita[2]...

Lucidius monstrari nequaquam poterat ista religiosae reformationis tentamenta omnium mentium propensioni fuisse stricte conjuncta, atque in mediis Universitatibus ortum cepisse.

In uno poematum suorum, inter cetera maxime clarorum, cui poemati titulus *Goliae episcopi Apocalypsis*, W. Mappius acri allegoria breviter complexus est querelas eorum qui religioso animo una et prudenti erant. Quod poema summatim referre satis erit, suffectis tamen in locum censurarum nimis communium, aut nimis peculiarium judiciis magis expressis ac vividis, quae ex aliis poematibus depromere in promptu est, ut lectori ostendamus veram

1. *Poemata*, p. 29.
2. *Ibid.*, p. 30.

speciem irarum atque timorum istius reformatorum factionis, ex Universitatum modo natarum sinu ortae.

Aestiva quadam die serena (nam eadem semper utitur oeconomia W. Mappius), sub arbore recubuerat poeta :

A tauro torrida lampade Cynthii
Fundente jacula ferventis radii,
Umbrosas nemoris latebras adii,
Explorans gratiam lenis Favonii [1].

Per somnum a sancto Joanne vocatur, trahiturque in coelorum aditum, ubi fulgentia videt septem candelabra, auditque tubas Apocalypsis intonantes. Tunc angelus apparens,

..... apposuit, cum septem titulis
Signatum codicem septem signaculis,
Dicens : « Aspicias intentis oculis
Quae nota facias terrarum circulis [2]. »

Invisibilis quaedam potentia signum fregit continens primi libri folia, et W. Mappius perspexit in paginis quatuor animalium figuras, leonis scilicet, vituli, aquilae, et tandem quasi harpyiae, in qua hominis et bruti formae commixtae erant. Leo papa est :

. ... pontifex summus, qui devorat,
Qui libras sitiens, libros impignorat,
Marcam respiciens, Marcum dedecorat
In summis navigans, in nummis anchorat [3].

Pecuniae acrem istam curam, quae jam ultimis saeculi XI annis paulum occidentalem Europam commoverat, morum quoque, si W. Mappio credendum, citior inclinatio esset consecuta. Omnia pecuniae cupiditas tenebat, eadem pellebant opes virtute quam nunc ipsis opinio tribuit. Quam hodie vituperant viri asperi ac morosi auctam paulatim

1. *Poemata*, p. 1.
2. *Ibid.*, p. 6.
3. *Poemata*, p. 7.

morum corruptionem, ea jam prope ab annis nonagentis existit. Jam temporibus Mappii, jucundo nummorum fulgore sive laus militaris, sive mentis labores obscurabantur :

Adora pecuniam, qui deos adoras :
Cur struis armaria? cur libros honoras?
Longas fac Parisiis vel Athenis moras;
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

Jam temporibus Mappii, pecunia candidatis victoriam parabat; eadem mulieribus venustatis palmam pollicebatur :

..... (pecunia)
In electionibus prima grande sonat,
Inthronizat praesules, dites impersonat,
Et genus et formam regina pecunia donat[1].

Jam temporibus Mappii, pecuniae ardens illa cupiditas omnes vitiarat, quin et ipsam curiam papalem.

Roma datis opibus in tumorem crescit,
Et quo plus infuderis, magis intumescit[2].

. Ad opes suas augendas, teste Mappio, nihil non tentabant cardinales; qui pretio nuptias solvebant; in litibus dirimendis suam jurisprudentiam aureis illustrabant, et in episcopis creandis tinnitu e marsupiis orto regebantur :

Roma solvit nuptias contra nutum Dei,
Pervertit judicium, fovet partem rei;....

Eligendi praesulis quotiens fit mentio,
In primis inquiritur cum quanto marsupio
Interesse poterit Romano concilio,
Et ita de moribus nulla fiet quaestio[3].

Quid mirum si episcopi artibus talibus et Ecclesia tam indignis electi, in memoriam hominum mentemque ipsius

1. *Poemata*, p. 157.
2. *Ibid.*, p. 156.
3. *Ibid.*, p. 156.

supremi Judicis, cujus sententias W. Mappius in somnio videre sibi visus est, imaginem evocarint vituli infra depicti :

> ..... Qui praevius
> In loco pascuae praecurrit citius,
> Roditque ruminans quod novit melius,
> Et saginatus est bonis alterius[1].

Episcopales curiae quasi totidem sunt pusillae curiae Romanae. Ut cardinales Romani, ita episcopi omnes pecuniae conficiendae vias norunt : nunc

> Praebendae ducuntur ad forum[2].

Nunc pecunia data, causae dijudicantur[3], quae pecunia saepe saepius comissationibus foedis vorabatur[4].

Quum vero papalium tribunalium corruptela nonnisi ad miserorum litigatorum fidem labefactandam pertineret, curiarum episcopalium contra corruptionem corruptio dioecesis totius sequebatur.

> ... Columnae titubant, templum sustinentes,
> Nam pervertunt munera praelatorum mentes[5].

Gradus omnes continui ecclesiasticae hierarchiae, qui templum Ecclesiae sustinent, exemplo capitis religiosi dioecesis vitiantur[6].

> Non pastor ovium, sed pastus ovibus.

Ita somnium W. Mappii evolvebatur, quum inter resonantia tonitrua, tertii capituli libri divinorum judiciorum sigillum apertum est. Tunc tegere non jam potuit poeta istius aquilae rapacis facinora, id est archidiaconi, dein

1. *Poemata*, p. 7.
2. *Ibid.*, p. 40.
3. *Ibid.*, p. 41.
4. *Ibid.*, p. 42.
5. *Ibid.*, p. 42, 154, 11.
6. *Ibid.*, p. 8.

facinora quoque ab archidiaconi obsequioso ministro commissa, ab ista deformi harpyia, decano. Prior, ab episcopo, cujus pravos refert mores, ecclesiasticis judiciis praepositus, statuit decreta quae solvet nullus, « nisi resolverit prius marsupium », format « fallacias sub forma canonis », ut incatenatum reum cogere possit ad catenas aureo vecte frangendas; denique in episcopalium redituum administratione, reperit novum fructuum fontem [1]

Canis archidiaconi.

Posterior eosdem tam honestos mores ipse quoque refert, imo perficit :

Decanus canis est qui sequens praevia
Nare cupidinis lucri vestigia,
Inducit callide cleri marsupia
Quo prius fixerat magister retia [2].

Decanus satis habet archidiaconi reliquias, eo immundior quo ignobilior, eo foedior quo rusticior. Archidiaconus seponit pecuniam servatam ad alendam jucundam focariam,

.... ut per cubiculi
Fortunam habeat fortunam loculi,
Et per vehiculum omen vehiculi [3].

Decanus in vinis emendis quaerit sepositae pecuniae collocationem atque aegritudinum levamentum. Vitiis iisdem et gravioribus laborant ecclesiasticae hierarchiae infimi ordines, tum « officiales », isti curiarum episcopalium apparitores, qui « venatores et aucupes praesulis, ponunt insidias cautis et timidis », atque ab episcopali pecunia male parata decimam distrahunt gravissimam; tum parochiales sacerdotes, ipsi quoque sublimiorum ordinum exemplis

1. *Poemata*, p. 9.
2. P. 10, 11.
3. P. 10.

depravati. Alii in parochiis suis seclusi vitam agunt crapulae deditam. Modo « celebrant de vino jugiter » [1]; modo praeferunt ecclesiasticae infulae « insulam meretricum », istasque pias monent mulierculas, quod

> Nulla salvabitur ad horam ultimam,
> Nisi de corpore suo det decimam [2].

Alii vicariis misellis curiarum administrationem demandant, sibi nimis fastidiosam, nihil nisi reditus retinentes, atque aut litterarum studio vacant, aut proprios colunt agros, aut etiam, ut qui Mercurium olim deum fuisse meminerint, mercaturas faciunt et maria transmittunt [3].

Rursus miro fragore strepit coelum, et Dei manu revolvitur ante oculos somniantis novum folium Libri divinorum judiciorum. Clerici regulares, sua vice, severe judicantur et dilacerantur immisericorditer.

Monachi heluones, in invicem mirabundi, aut ad magis ac magis potandum se provocantes, immani zelotypia tabescentes, inexplebile avari, hic acerbissime notantur [4]. Desinit liber Apocalypsis in hos truces versus :

> Est nullum monacho majus daemonium,
> Nihil avarius, nil magis varium;
> Qui, si quid datur, est possessor omnium;
> Si quisquam petitur, nil habet proprium.
>
> Si prandet, convenit ut loqui nesciat,
> Ne lingua dentium opus impediat;
> Si bibit, expedit ut sedens hauriat,
> Ne pes sub pondere ventris deficiat.
>
> Die tripudians adorat dolia,
> Nocte cum bipede sepultus bestia,
> Tali discrimine, tali molestia,
> Meretur vir Dei regna coelestia [5].

1. P. 13.
2. *Poemata*, p. 14.
3. *Ibid.*, p. 15, 16.
4. *Ibid.*, p. 17, 18, 55, 56.
5. *Ibid*, p. 19.

Illis tam acerbis verbis divinus liber finitur. Walterius Mappius tum rapi in coelum sibi visus est; coelorum abyssos permeavit; cogitationes aeternas iniit; judiciis divinis interfuit; cum puris spiritibus coenavit. Deinde in terram tandem relapsus e somno excussus est sub arboris umbra, sub qua paulo ante recubuerat [1]. Ea est Magistri Walterii Mappii Apocalypsis.

Quod poema magni esse momenti historici non negatur nec negari potest. Auctor sine dubio nec refert nec referre in animo habet veram et exactam cleri universi in saeculo xıı° effigiem. W. Mappius noluit asseverare eadem vitia fuisse ubique et pariter diffusa. Opus ergo ejus non est vera species Ecclesiae in saeculo xıı°, sed redactum in paucas paginas compendium, in genere scriptum et quasi abstractum, periculorum quae moribus Christianorum imminebant. Et si indubitanter in aliis carminibus [2], sicut et in quibusdam operis *De Nugis* capitulis, omnes singulorum clericorum saeculi xıı^i virtutes agnosceret, W. Mappius voluit tantum compendiose et sub allegoriae velo flagitia quorumdam notare, quorum peculiaris turpitudo clamorem ab ipso eliciebat iratum. Apocalypsis non tantum verum historiae monumentum est, sed etiam fortis animi auctoris documentum. W. Mappium sese velo alioquin valde tenui falsi nominis occultasse melius mente concipies, eumque curasse ut identidem indicaret aperte quos insectaretur, seque « gladium virtutis [3] » profiteretur, si recogitaveris quibus criminibus atque periculis obnoxii fuerint viri praeclari, qui in sinu Universitatum pericula Ecclesiae imminentia denuntiarint. Denique lucidius dispicies quo ardore incensi fuerint saeculo xıı° virorum piorum animi, si animadverteris uno

1. *Poemata*, p. 20.
2. *Ibid.* Q. p. 55, ubi describuntur veri monachi.
3. *Ibid.*, p. 52.

eodemque tempore fuisse et illas ad Christi sepulcrum expeditiones, mirum fidei fervidae documentum, et illam ad puriorem religionis sensum inclinationem, si denique audieris, volitantes per ora, illas detestationes adversus corruptos sacerdotes et monachos depravatos, in quibus jam praelibes aliquid Biblicae vis oratoriae, quam exhibuit xvi° saeculi Reformatio :

Cum perventum fuerit ad examen veri,
Ante thronum stabimus judicis severi,
Non erit distinctio laïci vel cleri;
Nulla nos exceptio poterit tueri.

Hic non erit licitum quicquam allegare,
Neque jus rejicere, neque replicare,
Nec ad apostolicam sedem appellare;

Reus tunc damnabitur, nec dicetur quare.
Judicabit judices judex generalis,
Nihil ibi proderit dignitas regalis;
Sed foetorem sentiet poenae gehennalis,
Sive sit episcopus, sive cardinalis[1].

Illud in saeculo xii° prae ceteris delectat, quod jam praebet quasi nascentes vires illas quibus, ducentis aut trecentis post annis, posterorum animi concutientur. Hujus temporis viri mirum in modum futura prospiciunt; vaticinantur enim felices commotiones quibus humana natura robustior ac pulchrior evadet; ad hoc, in operibus suis, eadem tamen lingua scriptis, et easdem notas prae se ferentibus, jam nos cernere sinunt peculiaria mentium quasi delineamenta, quorum virtute Occidentalis Europae populi in novas conglobationes sese distribuent. Ut in W. Mappii poematibus manifesta fit quaedam ad renovationem et reformationem propensio, ita in hujus anglici simul et normanni poetae versibus dispicere possis incertam adumbrationem linguarum vernacularum se ipsas informan-

1. *Poemata*, p. 53. Cf. p. 42, 52, 54.

tium, ibique reperias fabellarum Gallicarum et fabularum Wallensium aut Celtarum recordationes.

Quomodo enim non agnoscamus ingenii Gallici lineamenta et colores, si legamus duo W. Mappii opera, in quibus auctor memoriam revocans annorum in scholis exactorum, aut etiam libros gallice scriptos, enumerat in quadam confessione sua peccata suosque animi cruciatus; aut in dialogo singulari, cavillatur in feminas, et contra conjugium argumentatur?

Nobis in animo haud sane est istas inficetas mirari sine modo facetias, aut Gallicum afflatum gemere perditum. Attamen quascumque in intima gentis praecordia mutationes potuerint res et anni inducere, omnino non agnoscere nequimus in fabellis duas praecipuarum notarum nostri generis, quae notae sunt hilaris animus et rerum comicarum sensus. Quanta vis comica in his W. Mappii versiculis qui ad XVI^um^ saeculum inter pocula decantari solebant :

> Meum est propositum in taberna mori :
> Vinum sit appositum morientis ori,
> Ut dicant cum venerint angelorum chori :
> « Deus sit propitius huic potatori ! »
>
> Poculis accenditur animi lucerna;
> Cor imbutum nectare volat ad supernos.
>
> ... Unicuique proprium dat natura munus :
> Ego nunquam potui scribere jejunus;
> Me jejunum vincere posset puer unus;
> Sitim et jejunium odi tanquam funus[1].

1. *Poemata*, p. 73. Illis versiculis apte conferenda essent, nisi tamen taedium afferant lectori, exempla deprompta e *Dialogo inter aquam et vinum* quod opus W. Mappio tribuimus. Est idem fluens sermo ac facetus.

> Ego (Aqua loquitur) pulchritudinis, ego claritatis
> Mater sum, et omnibus offero me gratis;
> Ego pratis aufero pestem siccitatis,
> Desuper cum intonat Deus majestatis...
>
> Ego sapientiae sum assimilata
> Cujus alma pectora fonte sum potata,
> Qua quae semel fuerint corda foecundata,
> Non affliget amplius sitis iterata. (P. 89, 90.)

In illis facilibus versiculis, audias quasi resonantes collisos inter se calices, aut strepentem potatorum priscorum cachinnum.

Tum pergit W. Mappius confiteri sua vitia, fatetur se, quod viro ecclesiastico parum deceret, inclinatione voluntatis propendere in feminas :

Res est arduissima vincere naturam,
In aspectu virginum mentem ferre puram,

Tristitia quaedam subit temperans fabellae facetias :

Juvenes non possumus legem sequi duram,
Leviumque corporum non habere curam.

Brevi autem redit ad lusus et jocos :

Si ponas Hippolytum hodie....
Non erit Hippolytus in sequenti die;
Hunc ad opus Veneris ducunt omnes viae[1].

Confessio Goliae nihil aliud est quam ingeniosum soliloquium, poema autem *de Conjuge non ducenda* est comicus dialogus. W. Mappius tres oratores inducit amico cuidam suadentes ne conjugem ducat, quorum in ore ponit incredibiles scurrilitates. Primus ei monstrat conjugium,

A cujus onere mors sola liberat,

adimere viro omnem libertatem omnemque requiem.

Fit uxoris « servus », imo pejusquam servus :

Ipse est asinus quem amor stimulat,
Ut pascat filios quos ipsa bajulat[2].

Secundus immoratur in pingendis versutiis feminae, quae insidiarum arte praepollet, atque minima optata mutare scit in firmissimam voluntatem. Ita xii° saeculo tenera

1. *Poemata*, p. 73.
2. *Ibid*, p. 79.

uxor, iisdem artibus quibus postea feminae a D. Paulo Bourget descriptae, utitur quae a marito petit,

> Ut vadat peregre per monasteria;
> Et tecta subiens prostibularia,
> Plus illa celebrat quam sanctuaria [1].

Tertius tandem, longe moratus in explicanda hac, saltem rustica sententia, scilicet quod

> Una mulier fatigat populum [2],

dein feminarum insectatur garrulitatem, et praedicat lenocinium verborum, quae profert earum lingua volubilis semper et impigra. Talis verborum impetus maritum quasi fulminis ictu obtundit, ex ejus fronte fugat hilaritatem, et subvertit domum quasi australi turbine [3].

> Fugias ergo, uno ore clamant tres voces,
> Fugias conjugium, dissimulatam servitutem,
> Fugias mulierem, Satanae discipulum.

Illa ergo « conjugii decoctio » de qua nuper in theatriculo « la Bodinière » disserebatur, fortasse non est miraculum nostris tantum diebus ortum, ut videntur arbitrari recentissimi inter nostros de moribus scriptores.

Quamvis propriae nostri populi, si pluribus criticis credendum, esse videntur istiusmodi facetiae, mire tamen levamur, quum W. Mappius divertit ad argumenta suae stirpi suoque animo magis consona.

Fabellis latinis nostri auctoris certa anteponimus poemata quibus in vitia ironice simul et fortiter debacchatur, et etiam alia poemata quibus, in memoriam revocans res a se visas, simul et Giraldi Cambrensis descriptiones, exprimere tentat veram Wallensium imaginem. Illorum quod

1. *Poemata*, p. 81.
2. *Ibid.*, p. 83.
3. *Ibid.*, p. 83.

notare juvat gravia et robusta corpora seminuda. Vix « chlamyde et camisia » vestiuntur super « crispis femoralibus »; coeli tempestates facile ferunt; « sub ventis et sub pluvia plura non ferunt tegmina, quamvis brumescat borea »; famem dedignantur; fortiter et tenaciter pugnant, sed inter eos « validiores pedites ad pugnam sunt quam equites »; jam in domo sua (*home*) exquisitiorem curant munditiam; jam liberaliter hospitales sunt; suam originem ac praecellentiam jactant : « extollunt Trojae sanguinem, de quo ducunt originem[1]; et praeferunt se ceteris »; ad rem sane pertinet in illa descriptione jam internoscere lineamenta quaedam morum gentis illius, quae ex mixtione et assimilatione populi victoris cum victis efformata est.

Denique in W. Mappii poematibus comperire juvat aliquot inter fabulas a patribus ad filios pie transmissas, ut de lacu, sub quo mirus auditur sonitus[2]; de colle qui agitatur, si quando genti casus horrendus immineat[3]; de tumulo, ubi arma vespere integra relicta, confracta diluculo reperiuntur[4]; de insula et etiam rupe mire mobilibus[5]; de ignotis incolis deserti et aperti in mediis sylvis loci[6]. In quibus traditionum disjectis fragmentis, haud sine oblectamento, conspicimus unica, cum quibusdum Saxonicis fabulis, quae supersunt monumenta, de vernaculis litteris anglicis. Illaa popularibus animis sponte inventa, sola aut fere sola, in Anglia XII saeculi aliquid absolute novi praebent.

Cetera opera saepius ex locis citatis aut etiam tran-

1. *Poemata*, p. 131 ad 146.
2. *Poemata*, p. 138.
3. *Ibid.*, p. 140.
4. *Ibid.*, p. 141.
5. *Ibid.*, p. 143, 144.
6. *Ibid.*, p. 146.

scriptis conflantur. Normanni secum in navibus advexerant non tantum arma et statum politicum, sed etiam bonas artes.

Illa ergo poemata opus *De Nugis*, ut historica documenta, complent. Lumine etsi incerto illustrant motus, quibus, in artibus litterariis et religione, saeculo XII°, agitabantur civitates adhuc incultae. Eadem has anglicas simul et normannas litterarias artes leviter ostendunt adulterinas esse atque caducas; quum interea non parvo nobis sint auxilio ad dignoscendum quae W. Mappii sententiae, quis stylus fuerit. Quae nunc sunt examinanda[1].

III

Poematum illorum litterarium pretium pretio eorumdem historico impar sane est. Idem de Nugis jam supra dictum est. Ibi frustra requiras vel illam humanitatem quae tangat animos, vel acres sententias versibus contractas. Est in illis poematibus nescio quid incerti, impediens ne lectoris animus, quantum sperari posset, commoveatur. Ex illis aut poetae personam, aut ejus peculiarem corporis habitum, aut certam aetatem frustra tentares conjicere. Quorum versiculi nec adolescentis varios tumultus, atque multiplices animi sensus, nec viri aetatis maturioris amoenam tristitiam ac vehementes sententias prae se ferunt.

Dispiciendi enim maxima pertinacia sunt, si pro certo exploratum habere velis designari in illis certum hujus

1. « Cambriae Epitome », si hujus operis nobiscum agnoscas authenticitatem, novo argumento esset, quod, quidquid contrarium dictum fuerit, W. Mappio notae fuerint de Mensa Rotunda fabulae. Etenim Arthuri regis et Merlini nomina ibi nominatim referuntur :

> Arthuri regis tempore,
> Prophetavit apertius,
> Quam Merlinus Ambrosius.
>
> (*Poemata*, p. 142, V. 305, 308.)

aetatis virum aut eventum, aut etiam peculiaris saeculi notas. In summa, unico hoc signo admonemur haec esse poemata, quod versus similiter desinunt. Nomine aptiore dici possent morales aut festivae disputationes, accuratissime et compositae et perscriptae, multo minus propriis viri sensibus refertae quam sententiis communibus ex institutione litteraria multiplici et fictitia simul atque sterili ac taediosa mutuatis.

W. Mappius, cujus inter alias multas animi virtutes rara modestia eminebat, de suorum carminum mediocritate nullo modo se fefellisse videtur. Jam in quodam loco operis *De Nugis*, a nobis supra citato, fatetur se derisum fuisse, et merito quidem, ob ingenii poetici hebetudinem. Idem in carminibus iterum eamdem emittit vocem : « mea culpa »

> Dum risu lascivio, versus dum propino,
> Rodit me forsan aliquis dente canino,
> Quia nec affatus sum pneumate divino
> Neque labra prolui fonte Caballino....
>
> Cum mundum intueor, sordis fluctu mersum,
> Et naturae penitus ordinem perversum,
> Si natura negat, facit indignatio versum [1].

Illi versus quum animi elati auctoris imaginem praebent, tum ipsius mediocritatis rationem reddunt. Quibusdam praeditus erat virtutibus inter ceteras e quibus constant poetarum animi, ut animosa indignatione, et etiam, si verum fateri volumus, impetu quodam cum mentis acumine. Quibus ipse afflatus, quasdam strophas scripsit virili pulchritudine simul et concinna venustate conspicuas, dignasque quas seponamus atque admiremur. Hujus generis sunt quae scribit, deplorans vim exemplorum quae a potentioribus hujus mundi dantur, ubi his versiculis quasi colapho eos caedit :

1. *Poemata*, p. 153.

A praelatis defluunt vitiorum rivi,
Et tamen pauperibus irascuntur divi [1]...

In quo mundi climate, subquo mundi signo
Est abbas vel pontifex pectore benigno?
Dignus Christi nuptiis, dignus vitae ligno?
Rara avis in terris nigroque simillima cygno [2].

Denique in alio loco de ultimo judicio sic loquitur :

Cum perventum fuerit ad examen veri,
Ante thronum stabimus judicis severi,
Non erit distinctio laici vel cleri,
Nulla nos exceptio poterit tueri;....

Cogitate, divites, qui vel quales estis,
Quid in hoc judicio facere potestis!
Tunc non erit aliquis locus hic digestis,
Idem erit Deus hic judex, auctor, testis [3].

Quum W. Mappius, morum praedicator impetus sui affectu aufertur, praetermissis tunc grammaticae, artis metricae et rhetoricae impedimentis, versiculos edit plenos et optime tornatos. Idem contingit, quum ingenio faceto indulgens, de seipso subridens scribit :

Similis sum folio de quo ludunt venti;
Cum enim sit proprium viro sapienti
Supra petram ponere sedem fundamenti,
Stultus ego comparor fluvio labenti,
Sub eodem aere nunquam permanenti [4].

Praeterea paginae ubi quamdam inesse sibi ad vina generosa inclinationem, seque non sine admiratione in contemplatione femininorum vultuum immorari, illae, inquam, paginae certe inter optimas auctoris nostri sunt enumerandae [5].

Sed ille in moribus reformandis calor, illa in facetiis vis

1. P. 154, v. 41.
2. P. 155, v. 75.
3. P. 53.
4. *Poemata*, p. 71.
5. *Ibid.*, p. 20, 30, 40, 60.

comica tum metrica sane rudiore[3], tum maxime artibus litterariis adhibitis saepissime frenantur atque perstinguntur.

Illa enim proemata decem W. Mappio a nobis attributa, in tria genera distribui possunt.

Duo primum seponenda sunt opera, videlicet *Confessio Goliae* et *Cambriae epitome*, quarum prima, quia optimo et presso stylo, arte simplici et meditata scripta est, altera, quia apparatu omnino caret, non aliud est quam artificiosum ad juvandam memoriam compendium; prima quia opus perfectum est, altera, quia arte caret, ideo ad certum genus redaci nequeunt. Secundum carminum genus[1] concipitur e poematibus mores insectantibus compositum. Quae etsi accurate polita, simpliciter tamen composita et scripta sunt: nullamque adhibent ex istis vulgatis artibus, allegoriis, apparitionibus, et ceteris istiusmodi, quibus impediuntur W. Mappii aequalium mentes et opera. Virtutis magister, qui Mappius est, potuisset sane, nostra quidem sententia, in ista satirae forma expeditam invenire sibi viam ad indignationem acribus pressisque verbis expromendam. Cur ergo, ut Juvenalis alter, versibus aliquot acerbis non expresserit vividas imagines laicorum et clericorum, quorum vitia ipsius oculos averterant et iram commoverant? Sed W. Mappii ingenium impar erat exsculpendis lineis quae praeberent oculis acres et quasi spirantes virorum a se depictorum imagines. Mens ejus locis antiquorum innexa et obruta, et vi disciplinae qua informata

1. Illa enim ars metrica vere rudior est : versus communiter constant syllabis tredecim, quandoque undecim aut duodecim; efficiuntur strophae ex versiculis qui similiter desinunt; strophae autem habent quatuor, aut octo, aut duodecim lineas. Brevium et longarum syllabarum distinctio omnino non valet, ne in ultimis quidem syllabis; non fiunt elisiones; vocalium concursus admittitur.

2. Haec sunt : *Sermo Goliae ad praelatos impios*, *Praedicatio Goliae*, *Contra ambitiosos et avaros*.

erat, ad communes explicationes semper prona, haud ea pollebat imaginativa vi, qua albae paginae inscriberet praecisam ac vivide expressam effigiem.

Illis ergo poematibus, quae attigimus, communiter inest nescio quid dubii in cogitationibus, nescio quid in verbis incerti, propter quod maxime illa opera pretio litterario fere carent.

Satira *Adversus praelatos impios* orditur alludens biblicis libris, et conserens fidelium Hebraeorum malis mala virorum vere christianorum[1]. Post sequuntur disputationes in genere de praelatorum corruptione, et dominante avaritia[2], tum de vera Christi religione debilitata[3], denique imploratione misericordiae satira finem habet. — Ad describendos clericorum animos, totos corpori addictos, utitur hac vere incerta et inani oratione :

Aurum templi penitus redditur obscurum ;
Plures reaedificant Babilonis murum,
Per quos domus Domini fit spelunca furum[4].

Aut his aliis verbis :

Aret sicca penitus ficus absque flore ;
Gedeonis atria dulci carent rore ;
Jam praelatos miseri fata manent Core,
Una ne consimili pereant dolore[5].

Semel tantum auctor, locos et citatos et communes oblitus, breviter et vivide nobis depingit praelatum, qui paucis familiaribus comitatus cubiculum intrat, et

..... cibis crapulatus,
Delet vino veteri populi reatus[6].

1. V. 1-15.
2. V. 20-40.
3. V. 40-52.
4. V. 37-40.
5. V. 45-49; in Wright edit., « chorae ».
6. V. 60.

Haud sane ea satis sunt.

Eodem orationis vacuae incertique styli sensu afficimur in satira *Contra ambitiosos et avaros*. Post lamentationes de saeculi depravatione[1], sequuntur gemitus de praelatorum corruptione[2]; in quibus nullo loco apparet veri et vividi aliquid, lectoris tangens animum. Auctor videtur elaborare in tractanda materia a magistro carminum latinorum nescio quo tradita. Sic religiose verbis amplificat pericula ex depravatione morum in clero, ideoque multa disserit de gravi discrimine in quod venit Ecclesia propter mala praelatorum exempla[3], curiae Romanae corruptelam[4], moresque sacerdotum deteriores[5]. Poeta frequenter interrogatione utitur, et repetit non paucos antiquorum poetarum versus.

> Quis furor, o cives, quae tanta licentia[6]?

Non omittit musas invocare :

> Spargat ergo primitus sua Clio jacula
> In illos quos operit pastoralis infula.

Tot locorum communium mole lector obrutus, nec meminit se legere satiram, et stylum quaerit ut notet locos citatos, verborum compositiones, sententias communes, quibus ipse postea utatur.

Si vero, illis secundi ordinis carminibus W. Mappii omissis, nunc oculos et mentem advertamus ad haec poemata[7] quae ad nos usque, quasi delata fremitu admira-

1. V. 10-35.
2. V. 35-70.
3. V. 70-92.
4. V. 92-120.
5. V. 120-132.
6. V. 16.
7. Tertium et ultimum genus poematum complectitur : *Apocalypsim Goliae episcopi*; *Metamorphosim Goliae episcopi*; *de Conjuge non ducenda*; *Dialogum inter aquam et vinum*.

tionis, pervenerunt, tunc artibus litterariis adhibitis vere attoniti nihil aliud in his paginis reperimus nisi frigida rhetorices praecepta a viro ingenioso callide contracta. Hic trium piorum doctorum apparentes umbrae, illic duorum Olympi numinum auctori opus sunt ad probandum melius esse uxorem non ducere, et aquam prae vino bibere.

In uno poemate, scilicet *Metamorphosi Goliae episcoli*. W. Mappius acervatim congerit nemoris incantati [1], regiaeque arcanae [2] descriptiones, deinde allegoriam [3] omnino intricatam, ideoque vere inintelligibilem, Olympi [4] et Camporum Elysiorum [5] picturam, tandem tribus et viginti tantum versibus absolvit insectationem monachorum [6], quod sibi unice proposuerat. *Apocalypsis* autem est rhetorices artium quasi summa perfecta : hic reperire est locos antiquorum citatos [7], apparitiones [8], symbolicas figuras [9], signa Apocalypsis [10], allegorias [11], et etiam tonitrua [12], quae transitionum inventu difficilium locum teneant. Quin et W. Mappius non fastidit jocos, nec etiam putidas alliterationes [13]; ita austerum rhetorem identitem exhilarat juvenilis lascivia. W. Mappium fuisse vere ingenio praeditum ex eo praecipue constat, quod in hoc brevi carmine communissimae explanationes, orationes manû factae, artes vulgatissimae, simul haec omnia congesta non adeo taedio et frigiditate lectoris animum afficiunt, ut, lecta prima pagina,

1. V. 1-30.
2. V. 30-50.
3. V. 30-130. Regia centrum est mundi.
4. V. 130-170.
5. V. 170-215.
6. V. 215-238.
7. V. 28-34.
8. V. 118-132-227, 328, etc.
9. V. 1-10, 10,25.
10. V. 100-120.
11. V. 149-152.
12. V. 192-198.
13. Joci, v. 102, 132, 141, 163, 164, 169. Alliterationes, 262, 267, 277, etc.

non librum statim respuat. Quamvis talia vincula multa sint quibus auctor noster sua ligaverit membra, motusque suos impedierit, fuit tamen ita peritus, ut hoc poema sparserit strophis aliquot vere canoris :

A tauro torrida lampade Cynthii
Fundente jacula ferventis radii,
Umbrosas nemoris latebras adii,
Explorans gratiam lenis Favonii [1],

quin etiam lepidis picturis [2], et paucis verborum allusionibus haud longe petitis [3].

W. Mappius ergo, tum in soluta oratione, tum in versibus perbene latine dicebat. Interdum etiam eximiis extra regulam formis utitur quarum tinnitus docti judicis sonat auribus, sicut aerarii callidi auribus tinnit genuinus nummus.

Quum inducit Vergilium, « formantem aereas muscas », Ovidium « pascentem fabulis turbas [4] », quum, loquens de Pythagora, dicit : « concussis aestuat in labiis ejus logica [5] », ejus dicendi modus dupliciter commendabilis est et sententiae veritate, et elocutionis puritate. At haec rariora sunt exempla. In W. Mappii sive soluta oratione, sive versibus, apparent signa praenuntia linguae latinae senescentis, et jamjam brevi et irrevocabiliter lapsurae. W. Mappius enim non tantum regulas grammaticae implicatissimas non servat, exempli gratia, orationis obliquae leges [6], verum etiam regulas maxime simplices, vel pueris non ignotas, violat, cujus generis sunt leges temporum et locorum [7]. Illarum nec callet subtilitatem, nec temporum ac

1. V. 1-4. Videri possunt 417-425, 140-144, etc.
2. Descriptio monachorum jam citata, 398-408.
3. V. 202-205, jam citati.
4. V. 45-48.
5. V. 16.
6. Orationis obliquae exempla : *Apocalypsis*, v. 177-179. Indicativa et subjunctiva confuse permixta in obliqua oratione : *Dialogus inter aquam et vinun*, v. 145, etc.
7. *Apocalypsis*, p. 1.

modorum, cujusque peculiarem sensum novit[1], imo communissimas linguae notas aut oblivisci, aut potius dedignari videtur. Nunc pro verbis, adjectivis et adverbiis incorporalia usurpat nomina[2]; sic scribit « multitudinem tympanorum », non « multos tympanos » ; « resonat in proportione » ponitur « proportionaliter » ; « cupiditas mentis » pro « cupit », nunc orationi latinae vere gallicas intexit formas, latinitati repugnantes : « se volvit signaculum », « vide cito quae oportet fieri », « ista sunt quatuor alas habentia[3] ». Latinus iste sermo adulterinus et incompositus cedat tandem, tempus sane est, novis orientibus linguis.

Itaque W. Mappii poematum litterarii pretii aestimatio easdem subjicit illationes, quas jam ex ejus operibus soluta oratione scriptis supra protulimus. Ex utriusque partis operum consideratione, idem sive de auctoris temporibus sive de auctore ipso judicium inferendum. Saeculi XII[i] renovatio fragilis, quae bellorum procellis mox abripietur. Ea enim non scientiis permultis ordine digestis innibitur, sed e disciplina artificiali, praecoci, et ex libris unice hausta originem ducit. W. Mappii ingenium, aetatis suae fidele speculum, doctrinae male digestae et quam non satis combibit, oneri impar est; ideoque in toto ejus opere nec variam juventutis jucunditatem, fecundamve mentis ubertatem reperimus, nec contra certum maturi animi vigorem conceptusve lente excogitatos. In ipsius carminibus videre

1. Confusio temporum et modorum : *Apocalypsis*, v. 53, 54-60, 64. — Tempora non concordant, v. 26. — Duo tempora in linea eadem : Apocal., v. 12-30. Praeteritum perfectum, praesens, vel plus quam perfectum vicissim aut simul tenent praeteriti imperfecti locum.

2. Usus nominum incorporalium : *De grisis monachis*, v. 9-13, 20, 32-35; *Praedicatio Goliae*, v. 13, 32, 36, 71; *Sermo ad Praelatos impios*, v. 21, 24-26, 30-34; *Apocalypsis Goliae*, pro adjectivis, v. 297-300, 345-349, 393-396; pro adverbiis, v. 246-247-248; pro verbis, v. 57, 59, 100, etc.; *Metamorphosis* : pro adjectivis, v. 11, 14, 26-28; pro adverbis, v. 20; pro verbis, v. 223, 226, 233.

3. *Apocalypsis*, v. 184, 57, 117, etc.

est quod quidem prae ceteris ea esse authentica probat, nova exempla mirae doctrinae vulgarisque ingenii, ubi emicat operis arte facti et nimia scientia referti fragilis decor. Illa ergo ingenia, ut segetem ferant exspectatam, recentiumque litterariarum artium ortum expediant, necesse est, hinc jam antiquorum habeant exemplaria non semper imitanda, sed quandoque vitanda : oportet colligant animos operaque fecundo pectore effundant. Gallicus et Anglicus ager per multa saecula sterilis factus, fimi fecundi copia saeculo XII° coopertus est. Superest ut terrae fimus admisceatur, primique sulci imprimantur.

CONCLUSIO

Videtur igitur Walterius Mappius — speramus enim ex hoc brevi scripto ita videri — specimen quoddam clarissimum in singulari persona exprimere morum aetatis hujus, quae cum multorum auctorem lectione plena fuerit, impedita saepe videatur, ac saepe dum aut longioribus narrationibus aut minus novis disciplinis et rationibus libentius indulgeat, non aut intemperantiae, aut fastidii vitium fugiat. Quod tempus, etsi puerorum imperitiam ac senum stultitiam atque inertiam in se contrahat, tamen attento animo nec severo observare debemus, cum tunc in Europa septentrionali, post longas noctis moras, prima aurora illuxerit. Adde quod Walterius Mappius unus ex hic scriptoribus fuerit qui, cum et Angli et Normani aut origine aut cultura sua exstiterint, quae jam sanguis miscuerat diversa genera, etiam permixtis ingeniis et mentibus, ita magis atque magis inter se contineri fecerunt, ut jam unum genus ex duobus evaderet. Mixturam enim singularem illam apud nullos clarius comperieris fieri, quam apud historiarum scriptores illos et morum praeceptores, quibus origo sua saxoneum aut celticum sanguinem, cultura sua gallicam disciplinam infuderit : quorum et auctoritate et natura vere princeps exstitit Walterius.

Scriptores illi cum gallicae litteraturae rationes atque doctrinas — si quidem sit ulla eo tempore doctrina aut ratione aliqua usa — frequentius usurpant, fit ut primum videantur apud nos nati esse, et inde Anglorum silvestribus collibus ac nebulosis vallibus mores nostros atque instituta intulisse. Walterius Mappius, cum Universitatis Parisiensis alumnus fuerit, scolasticaque doctrina fuerit imbutus, hinc et Abelardi admirator evasit, et longarum dissertationum et disputationum verbis magnis sonantium et rhetorices artium valde amator; cumque postea vixerit in curia quadam moribus suis maxime gallica, militum societate usus semper sit et praesulum quibus nota lingua nostra librique perlecti, horum studia et ipse amplexus est. Quare facetas aut tristes fabellas libenter legebat, allegoriarum implicationibus indulgebat, nec nimia gravitate sapientiae magistros, nec intemperantia fabularum commenticiarum scriptores peccare existimabat. Nec mirabitur aliquis si legerit librum ejus *De Nugis* et Satiras; nam quod ad ea scripta pertinet, quae dicuntur *Fabulae de Mensa Rotunda*, difficile est scire quas in iis scribendis Walterius partes assumpserit; cum tamen nomen ejus non sit ab his scriptis separatum, fateri decet Walterium humanissimae huic (gallice « courtoise » dictae) litteraturae, id est vere gallicae litteraturae libenter studuisse.

Walterius autem, etiam cum patrii sermonis fuerit oblitus, saepe rusticitatem Saxonum contempserit, scriptis suis tentaverit gallicarum litterarum rationem ac disciplinam inserere, non tamen omnino, ut fit, non ab origine aliquid retinuisse potuit. Frustra enim, dum alienos scriptores legis, dum aliena multa undique acquiris, originis immemor es : apparent tamen originis vestigia, ut saepe rara terra coopertus aquae fons erumpit tamen aut hic aut illic. Walterium igitur laudemus, quod non patrium genus in eo sit

extinctum : hujus enim gratia, ut nobis quidem videtur, illas fabulas, quas hospitibus suis in conviviis Wallenses narrabant, tanto amore fovit; quae sunt vere Wallicae, singularemque legentibus voluptatem afferunt. Nam haec vere Wallensium poesis est, nec alius populi. Cum, solutam orationem obliti, carminum modum usurpabunt, egregiaque facta virorum canent, aut « outlaws », aut praecipue « Robinhood »; quae omnia posteris tradita non peribunt.

Nec tamen illis fabulis solum vulgus delectatur. Gaudet et historiarum scriptor, cum in his et Wallicam Walterii originem agnoscat, et scriptorum horum, quae jam insequenti saeculo florebunt, fontem[1]. Inveniat, si quis liberius quidem scripta haec legerit, in libro *De Nugis*, et naturae amorem illum singularem, et studium illud in occulta quaeque, quorum vestigia non in aequalium scriptis invenire possit : sunt prima haec indicia anglicae litteraturae. Fatebitur saltem, si quis magis acutam mentem habeat, saepe in Walterii Mappii scriptis, dum libentius Scripturae se incubuisse, citatis multis locis, demonstrat atque gloriatur, animorum manifestum esse hunc impetum quo ad religionem ferebantur, cujus auctores sunt, et Guillelmus Langland[2] qui carmine heroico, et Wiclefius qui praedicatione firmaverunt; nec firmatum tamen frangere non potuere adversorum rabies, rogi, caedes; finiente autem quinto decimo saeculo scimus ardentiorem ac vehementiorem impetum illum iterum fieri.

Nunc, postquam Walterium Mappium aequalibus suis comparavimus, posteros etiam ejus scriptis formatos interrogavimus, jam nescio quid praestantius auctor noster habet. Nec enim Henrici secundi obscurus salutator, nec

1. Q. J.J. Jusserand, *Histoire littéraire du Peuple anglais*, I, p. 367.
2. Q. JJ. Jusserand, op. cit.

latinorum aliquot libellorum scriptor jam solum exstat : auctor futurarum litterarum et religionis novae est.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. III kal. Aug. MDCCCC

Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,

A. CROISET.

TYPIS MANDETUR,

Parisiensis Universitatis Rector

GRÉARD.

INDEX RERUM

De Walterii Mappii operibus vii
Quae opera de Walterio Mappio loquantur viii
Praefatio xi
Prooemium 1
Caput I. — De Walterii Mappii vita 26
— II. — De homine ac de viribus cogitationis 83
— III. — De Walterio Mappio fabulosarum narrationum scriptore . 120
— IV. — De W. Mappio poeta 169
Conclusio 204

Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD. — 885-1900.

COLUMBARIIS. — EX TYPIS PAULI BRODARD.